JOAN. ARNTZENII
DISSERTATIONES
BINAE,
QUARUM PRIOR AGIT
DE
COLORE ET TINCTURA
COMARUM,
POSTERIOR
DE CIVITATE ROMANA
APOSTOLI
PAULI.



TRAJECTI AD RHENUM,

Apud GUILIELMUM KROON,
MDCCXXV.

VIRO DOCTISSIMO,

HENRICO ARNTZENIO,

Gymnasii Trajectini Moderatori vigilantissimo, Parenti optimo, ad rogum usque colendo.

NEC NON

VIRIS ERUDITISSIMIS,

Trajectinae Academiae Professoribus Celeberrimis,

DAVIDI MILLIO,

Phil. Doct. LL. Orient. Prof. ord. cum maxime Rectori Magnifico.

CORNELIO VAN ECK,

ICto, Juris Civilis & Hodierni Antecessori ordinario.

EVERHARDO OTTONI,

ICto, Juris Civilis & Publici Prof. ordinario.

ARNOLDO DRAKENBORCH, ICto,

CAROLO ANDREAE DUKERO,

Humaniorum Litterarum Professoribus ordinariis,

PRAECEPTORIBUS GRATISSIMIS, DE SE STUDIISQUE SUIS OPTIME MERITIS,

S. Pl. D.

JOANNES ARNTZENIUS.

FRugum primitias priscos offerre Colonos

Mos erat, Agricolae munera sacra Deo.

Spicea sic Cereris nectebant tempora sertis,

Cum ferrent meriti rustica dona Lares.

Nec,

Nec, nisi sacratus libasset vina Sacerdos,
Spumabant valida pocula laeta manu.
Sic Vobis libo studiorum prima meorum,
Ponens ad Vestros dona pusilla pedes:
Queis Ducibus doctos ausus contingere colles,
Tentavi Aonias rite vocare Deas:
Queis Ducibus Latias studui perquirere Leges,
Quaeque Palaestinis sint data jura locis:
Vel volui Ausonios priscae cognoscere ritus
Gentis, vel Grajo cultior ore loqui:
Plurimaque Armigerae promittere vota Minervae,
Et dare turicremis sacra dicata focis.
Pro tantis meritis, dignas quod solvere grates
Non opis est nostrae, munera parva fero.
Haec liceat primo donaria figere Templo,
Sitque index animi picta tabella mei.
Este igitur faciles, nostroque favete labori,
Vos o Castalio Pectora sacra Choro.

Sic pia cum largo cumulet sua munera
Phoebo
Pieris, & plena culta Minerva manu.
Longaque sic mites devolvant stamina Parcae,
Et meritum scaeva stet sine morte decus.

DOCTISSIMO JUVENI

JOANNI ARNTZENIO

DISSERTATIONES

EDENTI

FELICITER.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα Θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.
Hesiod. Εργ. 287.


ῥλα βίος πλείσοις μακρός ποτε δῶκε
βροτοῖσιν,
Ταῦτά σοι ἥβη νῦν ἐσθλὰ δέδωκε
νέῳ.

Μϐσάων θέραπον, σοφὴ ὃν διέθρεψεν Ἀθήνη.
Ηδη τῆς διδαχῆς χρήματα δῆλα ποιεῖς.
Εκδήλων γὰρ τῆς δε κόμης τὴν λεπλομέρειαν,
Δηλοῖς τῆς φύσεως σῆς δε τὸ ἀγχίνσον.
Αγλαὸς ὖυν ζήσεις, κ' ἐις πανλελὲς ἔνδοξος ἔσσῃ,
Τεθνηκὼς ζωῷ φθεγγόμενος σόματι.

JOANNES FREDER. REITZ.

ΤΩι

ΠΟΛΥΜΑΘΕΣΤΑΤΩι

ΚΑΙ

ΦΙΛΤΑΤΩι

ΙΩΑΝΝΗι ΑΡΝΤΖΕΝΙΩι.

Υ μόνον ἀργαλέον γῆρας, ῥυτὶς οὔτε, κελεύθους
Οἴγει τὰς κρυφίας θεσπεσίου σοφίας.
Οὐ μόνον ἡ πολιὰ παντὸς κρατέουσα καρήνου
Θρὶξ παρέχει πολλὴν πρεσβυτέροις διδαχήν.
Ἀλλὰ καὶ ἥβην φιλομαθῆ Παλλὰς ἀγαπῶσα
Ἐν κεδνοῖσι νέοις ἀγλαὰ τέκνα ἔχει.
Ἔστι μὲν εἰς σοφίαν μακρός γε καὶ ὄρθιος οἶμος
Τὸ πρῶτον χαλεπὸς, τοῖς τε βροτοῖσι τραχύς,

Καὶ

Καὶ θερμὸν αὐτῆς ἱδρῶτα πάροιθεν ἔθηκαν,
Καὶ κῆδος δεινὸν, καὶ πόνον, Ἀθάνατοι.
Ἀλλὰ νέοι σπουδαῖοι καὶ μὴ μισοπονοῦντες
Εὐθύμως χαλεπὴν τήνδε τελοῦσιν ὁδόν.
Οἷος ΑΡΕΝΤΖΕΝΙΟΣ σοφίαν πολλῶν περὶ εἰδὼς
Καὶ σπουδῆς ἐράων καὶ ἅμα σφόδρα νέος.
Τοῦτον γὰρ Μοῦσαι καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν,
Καὶ τοῦ ἐκ στόματος μείλιχα ῥεῖ ἔπεα.
Καὶ Θέμις αἰδοίη τῷ δῶρα περισσὰ ἔδωκεν
Τὴν αὐτοῦ κεφαλὴν πολλὰ τίουσα φίλην.
Οὕτω τῇ σπουδῇ σοφίη καὶ κῦδος ὀπηδεῖ,
Φιλομαθεῖ ἥβῃ ἐσθλὴ ἔοντα δόσις.
Χαῖρε νέων κύδιστε, καὶ ὄλβιε, ὃς τάδε πάντα
Ἔμφρων ἐργάζῃ, τοῖά τε δῶρα φέρεις.

ὁ τιμῶν σε καὶ ἀγαπῶν

PETRUS FREDER. HUSSON.

IN

ERUDITISSIMI JUVENIS

J: ARNTZENII

DISSERTATIONES ELEGANTISSIMAS

DE

COMARUM TINCTURA,

ET

CIVITATE PAULI APOSTOLI.

O Ita sis felix! juvenum laus rara, Tibique
Tendere Pieriâ detur ad astra viâ.
Ut Mihi dulce fuit docti vidisse laboris
Prima, sed emerito pignora digna Sene.
Scilicet est aliquid veterum cognoscere cultus,
Cum fuit in nitidis gloria magna comis.
Foeminaque albentes didicit medicare capillos,
Prodere canities ne sua posset anum.
Quid faciat? vitæ spatio meliore peracto,
Quærere, quâ placeat, cogitur artis opem.
At

At Tibi quid crines (etiam crescentibus annis
Tinguere? nativum quid violare decus?
Sive erat in pretio flavus color; omnis ab illo
Autore similis facta puella fuit.
Seu gratus magis ater erat; simul omne videres
Vel pice, vel moro nigrius esse caput.
Ut quondam veteres, ita nunc labor iste puellas
Dignus habet; comtis nam juvat esse comis.
Et juvat a speculo totis pendere diebus,
Sistat ut ornatum, non nisi fessa, manus.
Quod poterunt, facient nostræ, ne prisca vetustas
Secla suo cultu posteriora premat.
Mens tua jucundo non hoc contenta labore
Audet, & in latos dat sua vela sinus:
Materiesque Tibi sumta est juvenilibus annis
Altera, quæ doctos torserat ante viros.
Cui Tarsus Patria est, Paulus quo jure Quiritum
Se ferat e numero, non sine laude doces.
Ergo age, Teque virûm stimulent exempla priorum,
Quorum posteritas nomina grata canit.

Dum

Dum Pindi quaſſatur apex, dum barbarus horror
Ingruit, & Latii pallida ſceptra tremunt:
Tu validos armes in talia bella lacertos,
Merces, interitus neſcia laurus erit.

CAROLUS VAN HEUSDEN.
Philol: Stud:

PRAESTANTISSIMO JUVENI

J: ARNTZENIO,

cum hasce Dissertationes Publici Juris faceret

FELICITER.

Est aliquid, fateor, spirantia fingere signa,
Quae, Lysippe, tibi Gloria prima fuit:
Est aliquid, validae victricia Dona Palaestrae
Sumere, post forti praelia facta manu:
Sic juvat Eleae Palmam rapuisse Quadrigae:
Major & e minimis saepe paratur Honos.
Is tamen is, Doctae sequitur qui castra Minervae,
Acquirit Studiis Nomina plura suis.
Est, cur Alcinoi contemnat munera Regis,
Quaeque latent terra condita, quaeque mari.

Fal-

Fallor, an & navo cedant, Germane, labori
Nomina, militiae digna Tropaea tuae?
En Tibi pigrities supplex sua brachia tendit,
Calcatur posito fortiter ista pede:
Sic det victa tuo livor sua colla Triumpho!
Sic veniant meritis laurea serta COMIS!

OTTO ARNTZENIUS
J. V. St.

DISSERTATIO
DE
COLORE ET TINCTURA
COMARUM.



DISSERTATIONIS DE
Colore & Tinctura Comarum

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

§. I. *Coma a* κομεῖν *proprie de ornatis capillis dicitur, unde comere de ornatu capillorum.* II. Κόμη *&* *coma accipitur etiam de hydris seu capillis Medusae, quae inde anguicoma dicta; eodem sensu capillus & caesaries.* III. Κόμαι, *comae,* τρίχες, *capilli, caesaries de pilis animalium; coma etiam de plumis volucrum; contra* χαίτη *& juba hominibus adfingitur. Seneca Emend. ff. expl.* IV. Κόμη, *coma,* βόστρυχος, πλόκαμος, *crinis, capillus pro foliis seu ramis arborum. Martianus Capella tentatus.* V. Κόμη, *coma, auricomus, & comans de herbis.* VI. *Coma pro summitate flammae, quae vertex flammae aliis dicitur. Gorallus notatus, Auctor*

Elegiae de morte Drusi expositus. Coma & crinis de fulmine aut stellis. Caesaries & κόμη de radiis Solis. Philostratus versus. σοφὸς pro Poëta. Κόρσαι pro radiis lapidum flammantibus. VII. *Coma an pro flagello ponatur. a Vossio disceditur.* VIII. *Coma & caesaries qua ratione distinguantur, quae tamen differentia non ubique observatur. Comam tondebant viri.*



DE Etymo hic in ipso limine multa agere non fert animus, cum illud jam occupaverint Lexicographi, nec repetitam saepius cramben adponere lubeat. Unum tantum id monebo, me pedibus ire in illorum sententiam, qui κόμην a Graeco κομεῖν ornare dictam putant. κόμην enim proprie de ornatis capillis dici docet Moschopulus ad Homer. Il. A. vers. 197. & Eustat. Il. Γ. p. 288. Edit. Basil. Unde ἀπὸ τοῦ κοσμεῖν derivat ad Il. B. p. 157. Sic *comae* apud Latinos, teste Festo in voce comtus, *dicuntur capilli cum aliqua cura compositi*. Observatur id in Catalectis Scal. p. 203.

Semper munditias, semper, Basilissa, decores,
Semper compositas arte decente comas.

Et ἠσκημένης κόμης ἐπιμέλεια, *compositae comae cura*, ap. Lucian. Amor. p. 875. Edit. nov.

nov. Artem. libr. I. Oneir. cap. XX. Αἱ δὲ μεγάλαι μὲν, ἀτημέλητοι δὲ τρίχες, ὡς μὴ δοκεῖν κόμην εἶναι, ἀλλὰ ῥίχωμα, πᾶσιν ἀνθρώποις πένθη τὲ καὶ λύπας δηλοῦσι. *Longi quidem, ſed neglecti crines, ut non videantur comae eſſe, ſed piloſitas, omnibus hominibus luctumque & dolorem praedicit.* Hinc *comere* ſaepe de ornatu capillorum dicitur. Tibull. libr. IV. Eleg. II. ℣. 9.

Seu ſolvit crines, fuſis decet eſſe capillis,
Seu comſit, comtis eſſe veneranda comis.

Ovid. Epiſt. XXI. Her. ℣. 88.

Comuntur noſtrae matre jubente comae.

Et libr. I. Am. El. I. ℣. 20.

Aut puer, aut longas comta puella comas.

Idem libr. II. Faſt. ℣. 560. Conſule Gronovii Diatriben in Statium cap. XXVII. Vir. Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. lib. VII. ℣. 460. & Burm. ad Val. Flacc. libr. V. ℣. 593.

II. Inter ſignificationes prima occurrit, cum pro capillis ponitur, quae paſſim & vulgo eſt obvia, adeoque plura hujus ſignificationis exempla colligere; moleſtae & putidae ſatis eſſet diligentiae. Inde pro hydris ſeu anguibus illis dicitur, quae Me-

dusae capillis intermixtae erant apud Lucan. libr. IX. ỳ. 770.

Vigilat pars magna comarum
Defenduntque caput portenti crinibus hydri.

Quae *jubae* ab Ovid. libr. III. Fast. ỳ. 452. vocantur, ut docet Ill. Heinsius ad Claud. libr. I. Ruf. ỳ. 381. Ideo *Anguicoma* dicta fuit Medusa ab Ovid. libr. IV. Met. ỳ. 698.

Gorgonis anguicomae Perseus superator.

Et Statio libr. I. Theb. ỳ. 544.

Aureus anguicomam praefecto Gorgona collo
Ales habet.

Graece δρακοντοέθειρα, *draconibus comata.* Orpheus de Lapid. in coralio. ỳ. 33. p. 224. Edit. Nov. Vide Munker. ad Fulgent. Mythol. libr. I. cap. XXVI. & Heins. ad Ovid. libr. V. Met. ỳ. 195. Ὄφεις αἱ κόμαι dicuntur ab Achill. Tatio libr. I. Erot. p. 15. Vide & Lucian. in Philops. p. 342. *Capillus* eodem modo usurpatur a Catullo carm. LXV. ỳ. 193.

Eumenides, quibus anguineo redimita capillo

Frons

Frons exspirantis praeportat pectoris iras.

Et Sidon. Apoll. Epith. Polem. ℣. 11.

Torquet maculosa volumina mordax
Crinis, & irati dant sibila tetra capilli.

Stridentes comae Furiarum apud Lucan. libr. I. ℣. 573. Similiter. *caesaries* apud Ovid libr. IV. Met. ℣. 490.

Nexaque vipereis distendens brachia nodis
Caesariem excussit, motae sonuere colubrae.

III. Nec tantum *coma* accipitur pro capillis in homine, verum etiam in bestiis Eustat. ad Homer. Il, Γ. p. 892. Quare equus describitur τὸν αὐχένα σιμώσας καὶ φρίξας τὴν κόμην, *cervicem intorquens & quatiens comam:* ab Achill. Tatio libr. I. Erot. p. 43. De Cerbero Ovid. Epist. Deian. ad Herc. ℣. 96.

Inque canes totidem trunco digestus ab uno
Cerberus inplicitis angue minante comis.

Et sic in MS. Senecae Bibl. Traj. in Oedipo. ℣. 920. pro varia lectione ab eadem manu adponitur.

Qualis per arva Lybicus insanit Leo
Fulvam minaci fronte concutiens comam.

Cum in Vulgatis *jubam* legatur, neque

ulla tamen apud hujus Poetae enarratores variantis lectionis fit mentio. sic Calpurn. Ecl. V. ℣. 69.

Ante tamen secerne pecus gregibusque notatis,
Consimiles conclude comas.

Vide & Columell. libr. VII. cap. III. firmat hanc Senecae scripturam Achill. Tatius libr. II. Erot. p. 113. qui leones habere dicit πολλὴν περὶ τὸν αὐχένα κόμην, *multam circa collum comam.* Quem etiam vide p. 115. De iisdem Virgil. libr. X. Aen. ℣. 726.

Gaudet hians inmane, comasque arrexit,
& haeret
Visceribus superincumbens.

Τρίχας iis dat Lucian. Philopf. p. 331. Equis *comam* attribuisse mediae Latinitatis scriptores testis est Du Cange Glossar. med. Lat. Voce *Coma.* Neque tantum de pilis animalium, verum etiam de plumis volucrum *comam* dici reperies in Catal. Pithoei libr. IV, p. 128. de gallo gallinaceo.

Alae, colla, comae, pectus, femur, ungula, cauda,
Paestanis lucent floridiora rosis.

Quod alibi non facile obviam habebis. Equo-

quorum *crinem* memorat Claud. Conf. Olybr. & Prob. ℣. 4.

Crinemque repexi
Blandius elato surgant temone jugales.

Quo modo καλλίτριχας ἵππους habet Hesiod. in Scut. Herc. ℣. 372. Et τρίχες equorum occurrunt ap. Artemid. Oneir. libr. I. cap. XXI. Similiter αἰγῶν τρίχες sunt apud Longum Pastor. libr. III. p. 69. & libr. IV. p. 124. Edit. Mollii. Achill. Tatium lib. III. p. 171. & in Anthol. libr. IV. cap. XXXII. carm. 14. Eadem ratione τρίχας canibus saepe adscribit Xenoph in Κυνηγ. p. 571. Edit. Steph. Et bovi Achill. Tatius libr. IV. p. 223. Asino Lucian. Asin. p. 109. Nec alia memorare operae erit pretium, cum non indiligens Graecarum literarum Cultor ea passim observare queat. Latinis eo sensu venit *Capillus.* ap. Gell. libr. XII. cap. 1. *Nam si ovium lacte hoedi aut caprarum agni alantur, constat ferme in his lanam duriorem in his Capillum gigni teneriorem* Videantur Scaliger & Scioppius in facerrimis ad Priapeja Commentariis carm. XLV. Et hinc in l. 16. §. 7. ff. de Publ. & Vectig. per *capillos indicos* pilos quorumcunque animalium intelligendos esse censet praesiduum & dulce Batavae Themidis Decus Corn. a Bynkershoek in Obs. Jur. Rom.

libr. IV. cap. V. ita *caesariem* equis tribuit Gratius Cyneg. ℣. 272.

> *Longumque latus, discretaque collo*
> *Caesaries non pexa nimis.*

Contra χάιτη, quae proprie est equorum, hominibus adscribitur, docente Moschopulo ad Hom. Il. A. ℣. 197. Sunt enim χᾶιται proprie κεχυμέναι τρίχες, *effusi crines*, teste Hesychio in hac voce. Attamen pro humanis capillis saepissime usurpant Graeci, eaque significatione est apud Homer. Il. A. ℣. 529. ubi de Jove.

> Αμβρόσιαι δ᾽ ἄρα χᾶιται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
> *Immortales capilli moti sunt regis.*

Pindar. Nem. Od. I. ℣. 19. Lucian. Amor. p. 901. Anthol. libr. III. cap. XV. carm. 1. & cap. XXII. carm. 58. aliosque passim. Graecos imitati sunt Latini, qui eodem modo *jubas* hominibus adfingunt. Silius Ital. libr. IV. ℣. 452.

> *Jamque hostili perfusa cruore*
> *Membra madent, cecidere jubae, gyroque per orbem*
> *Artato, Garamas jaculis propioribus instat.*

Consuli posset Taubm. ad Plaut. Mil. Act. I. Sc. I. ℣. 64. Heins. ad Claud. IV. Consul.

ſul. Hon. ℣. 201. Paſſer. ad Propert. libr. IV. El. IV. p. 599.

IV. Altera vocis *comae* eſt ſignificatio, cum pro foliis ponatur, quae ſunt quaſi arborum comae, quaeque, ut coma honor eſt capitis, ita arborem ornant atque decorant. Sic Aelian. libr. II. Var. Hiſt. cap. XIV. κόμην πολλὴν in arboribus commendari ſcribit. Ovid. libr. II. Amor. El. XVI. ℣. 36.

Frigidaque arboreas mulceat aura comas.

Et ita centies. Inſpice, ſi tanti ſit, quae notarunt Cl. Salm. ad Solin. p. 410. Illuſt. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Dian. ℣. 41. Rivius ad Pervig. Vener. ℣. 4. Torrent. ad Horat. libr. IV. Od. VII. ℣. 2. Similiter βόστρυχος φυτοῦ, *cincinnus arboris* apud Achill. Tat. Erot. libr. I. p. 53. Et πλόκαμος hederae apud dulciſſimum Anacr. carm. VI. & in Anthol. libr. III. cap. XXV. carm. 39. Unde hedera εὐχαίτης dicitur in Anthol. libr. IV. cap. XXX. carm. 4. Et hinc notiſſimum illud epitheton Poetarum ὑψίκομος, *alticomus*, de arbore. Orpheus de Lapid. in ὑποθ. ℣. 25. Nec a Graecorum hac loquendi ratione abhorrent Latini, qui eo modo voce *crinis* utuntur, obſervante Buchnero ad Venant. Fortun. Hymn. de reſurr. ℣. 21. Stat.

Stat. libr. IV. Silv. V. ℣. 9.

Nunc cuncta Veris frondibus annuis
Crinitur arbos.

Quod tamen durius dictum videtur ad eum locum Barthio. Sic conjici posset legendum esse apud Martian. Capell. in Nupt. Phil. libr. I. p. 11. *Nam & Tellus floribus crinita, quippe Veris Deum conspexerat subvolare Mercurium.* In Editis legitur *lumina;* sed nullo sensu, si quid video. Verum liberum sit cuique eligendi arbitrium. Eo tamen modo locutus est Salvianus libr. VII. de Gubern. Dei p. m. 132. *omnis regio aut intersusa fluminibus aut crinita messibus fuit.* Ubi Weitz. vide. Dion. Descript. Orb. ℣. 1125.

Ναὶ μὲν καὶ λειμῶνες ἀεὶ κομόωσι πετήλοις.
Jam vero & prata semper comuntur foliis.

Vitibus adscribit *crines* Plinius libr. XVII Hist. Nat. cap. XXIII. *vernacula putatio dejectis per ramos vitium crinibus circumvestit arborem, crinesque ipsos uvis. Crines* hoc loco positas vides pro arborum seu vitis ramis, qui κόμαι appellantur in Anthol. libr. I. cap. VI. carm. 4. Ubi Platanus, cui vitis de more veterum adposita erat, dicit. Οἱ-

Ὀθνείη δ' ἀμφιτέθηλα κόμη.
Aliena autem circumflorui coma.

Et apud Prop. Libr. II. El. XV. ℣. 11.

Illic assidue tauros spectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas.

Serv. ad Virg. lib. II. Aen. ℣. 629. *Comam pro ramis per illam metaphoram, tondentur cythisi.* V. etiam Antiphilum in Anthol. libr. III. cap. XIV. carm. 3. Atque ita *capillos* pro foliis dicere Arnobium obſervat magnus Scaliger ad Catal. Virg. p. 324. Arboribus namque apud Poetas paſſim *capita, frontes, brachia* aliaque corporis humani membra adſcribuntur. Conſule Ill. Heinſ. ad Claud. libr. III. de Rapt. Proſerp. ℣. 346. Alia non adferemus, quia res non eſt hujus loci.

V. Hinc tandem *Coma* pro herbis & ſegete ponitur, ut in Anthol. libr. VII. carm. 5.

Λειμῶνες, τί μάταια κόμαις ἐπὶ φαιδρὰ γελᾶτε;
Prata, quid vane comis hilariter adeo ridetis?

Ovid. libr. I. Am. El. X. ℣. 11.

Prima Ceres docuit turgeſcere ſemen in agris,

Falce

Falce coloratas subsecuitque comas.

Senec. Med. ℣. 720.

Has Pindus ingens, illa Pangaei jugis
Teneram cruenta falce deposuit comam.

Unde non ineleganter *auricomum rus* dixit Auson. Technopaegn. de Vere. p. 488. Edit. maj. Toll. Et *prati comantis exuvias* Sidon. Apoll. libr. VIII. Epist. VIII. Ubi consulendus Savaro: nec elegantioris sexus amator frustra erit, si hac de re conferat jucundissimum scriptorem (quem nimis secure Aristenaetum vocari credit Berglerus ad Alciphronem Libr. I. Epist. I. init.) in Epistolarum libr. II. Ep. I.

VI. Transfertur quoque ad superiores flammarum partes, quae alio nomine *vortices flammae* seu *vertices* dicuntur, ut observat diligentissimus Oudendorpius ad Jul. Obseq. cap. CXII. Metaphora quidem, ut vult Servius, ab aquis deducta, ad Virg. XII. Aen. ℣. 673.

Flammis inter tabulata volutus
Ad coelum undabat vortex.

Et recte. Videatur Dion. Longinus de Sublim. cap. II. & Sil. Ital. libr. V. ℣. 513. Hi *comae* dicuntur apud Auctorem de morte Drusi ℣. 255.

Tar-

Tandem ubi complexa est silvas, alimentaque sumsit,
Aethera subjectis lambit & astra comis.

Ubi Theod. Gorallus notat: *Nova sed felix translatio, qua flammae superiores partes comae dicuntur, nec sane sunt passis comis figura dissimiles.* Non video, quorsum tendat haec oratio, nam novam non esse translationem patet ex Catullo carm. LXII. ỿ. 77.

Viden ut faces
Splendidas quatiunt comas.

Et ỿ. 98. quibus locis vide Statium & Passer. Male per solutas comas interpretatur La Cerda ad Virgil. libr. VII. Aen. ỿ. 403. neque longius a Catullo abit Manilius libr. I. ỿ. 833.

Nam modo ceu longi fluitent de vertice crines,
Flamma comas imitata volat.

Et hinc Juvencus Presb. IV. de Euang. Hist. p. m. 104.

Occurrere illi votis sponsalibus omnes
Ornatu accinctae taedarum flammicomantum.

Hanc vocis significationem jam observarant

rant Viri Eruditissimi Joh. Fred. Gronovius diatr. in Stat. cap. LIII. & Vossius. ad Valer. Flacc. libr I. ꝟ. 205. *Crinitum missile flammâ* habet Statius libr. V Theb. ꝟ. 387. de quo teli genere agit D. Voss. ad Caesar. libr. V. Bell. Gall. cap. XLIII. Sic quoque fulmini *comam* adscribit Statius libr. III. Theb. ꝟ. 320.

Volat ignea moles
Saeva Dei mandata ferens, coelumque trisulca
Territat omne coma.

Crinem idem Stat. libr. VII. Theb. ꝟ. 582.

Ceu duo diverso pariter si fulmina coelo
Rupta cadant, longumque trahant per nubila crinem.

Ubi plura Barthius. Silius Ital. libr. I. ꝟ. 356.

Fulminis ire ritu, summis e montibus arcis
Incita, sulcatum tremula secat aera flamma,
Qualis sanguineo praestringit lumina crine.

Coma etiam de Stellis usurpatur Suid in Κόμη. Barth. ad Stat. de Conf. Olybr. & Prob. ꝟ. 3. Sic Leo signum coeleste dicitur *ignicomus* a Nemes. Cyneg. ꝟ. 214.

Seu

Seu magis ignicomi candentia terga Leonis
Cum quatit.

Eodem ſenſu *crinis* ſaepius occurrit, ut docuerunt Comment. ad Valer. Flacc. libr. II. ℣. 42. Quo fere modo *caeſaries* Soli adſcribitur apud Mart. Cap. libr. I. de Nupt. Phil. p. 6. *Non Solis auguſtum caput, radiis perfuſum circumactumque flammantibus, velut auratam caeſariem rutili verticis imitatur.* Ejusdem radios κόμας dictos fuiſſe tradit Philoſtr. Epiſt. XXVI. Ηκουσα γὲ μὴν ἀνδρὸς Σοφοῦ καὶ τὰς ἀκτῖνας. λέγοντος κόμας Ηλίου. *andivi virum Sapientem etiam radios appellantem comas Solis.* Σοφὸς per *Poetam* interpretari malo, cum quia poetica haec praecipue ſit locutio, tum quia Σοφὸς Graecis *Poetam* ſignificet, quoniam apud Poetas tum temporis maxima eſſet Hiſtoriarum & Antiquitatis cognitio, quae vulgo erant ignota. Anacr. carm. XLIII. & LIII. ℣. 16. & 23. Barneſ. ad Anacr. carm. LXIV. & Erud. Daviſius ad Max. Tyr. diſſ. VIII. p. 91. Hac ratione κόρσαι dicuntur fammulae illae, quae in lapidibus apparent, & ſpeciem comarum prae ſe ferunt. Orpheus de Lapid. vel quiſquis ſit hujus libelli auctor in Coryphide p. 222.

Τὸν μὲν ἐγὼ κόρσῃ μάλ' ἐοικότα φημὶ βροτέιῃ.
Hunc quidem ego capillo admodum ſimi-

 lem

lem dico humano.

Versu primo ejusdem carm. dixerat κοϱσιόεντα λίθον, *crinitum lapidem*, & de Opallio scripserat p. 208. ei radios inesse, qui appareant veluti ἔθειϱαι

VII. *Coma* praeterea ex Cl. Is. Vossii sententia notaret flagellum ex capillis contortis confectum, apud Martial. libr. II. Epigr. LXVI.

Hoc facinus Lalage, speculo quod viderat, ulta est,
Et cecidit saevis icta Plecusa comis.

Et sic quidem legit & interpretatur Vossius ad Catull. carm. LXII. p. 224. An vero ejus sententia probanda sit nondum satis constituo. Immo praeferrem aliorum Interpretum expositionem, qui Lalagen ipsi Plecusae secuisse comas existimant, & ita legunt:

Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est,
Et cecidit sectis icta Plecusa comis.

Aliam lectionem reperies apud Nob. Heins. ad Albin. El. I. ℣. 98.

VIII. Grammatici vocem comam & caesariem ita distinguunt, comam proprie esse Mulierum, caesariem vero Virorum; &

& ita κόμην proprie de foeminis dici notat Cl. Voet ad Call. in Dian. ☧. 76. Caesariem vero Viris tribuit Servius ad Virg. libr. I. Aen. ☧. 590. *A caedendo dicta caesaries, ergo tantum virorum est*. Servii (teste Cel. Dukero ad Flor. libr. I. cap. V. §. 5.) compilator Isidor. libr. II. Orig. cap. I. eadem verba refert. Inspici etiam potest Servius ad libr. VIII. Aen. ☧. 659. Comam enim tondere solebant Viri, unde coma tonsa dare viriles vultus dicitur apud Martial. libr. IX. Epigr. XXXVII.

At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

Virum tonsum esse decet, mulierem non decet, verba sunt Isidori. libr. XI. Orig. cap. I. p. 1092. Hinc *caesariem virilem* dixisse videtur Prudent. Phichom. ☧. 358.

Mitra caesariem cohibens aurata virilem.

Livius libr. XXVIII. cap. XXXV. *Adornabat promissa caesaries, habitusque corporis, non cultus munditiis, sed virilis vere ac militaris*. Confer. Philostr. lib. II. Icon. XXXIII. Verum haec non ita ex Grammaticorum sententia observantur. nam κόμη de Viris est ap. Callim. Hymn. in Apoll. ☧. 38.

Αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδω λείβουσιν ἔλεια.
Comae vero odoriferis in terram stillant
oleis.

Aelian. libr. VII. Var. Hist. cap. VIII. & libr. XII. cap. XIV. Alexandro κόμας adscribit. Vide etiam Aristoph. Avib. ℣. 912. Ovid. Epist. XVII. Her. ℣. 103.

Eque tuis demtos humeris mihi tradis
amictus,
Et madidam siccas aequoris imbre comam.

Seneca Hercul. Fur. ℣. 893.

Stantes sacrificus comas.
Dilecta tege populo.

Aliaque Veteres auctores versanti obvia esse poterunt. *Caesariem* de Foeminis adhibet Catullus de Coma Berenices. ℣. 8.

Idem me ille Conon coelesti lumine vidit
E Beronicio vertice caesariem.

Ovid. lib. III. Am. El. I. ℣. 31.

Hactenus: & movit pictis innixa cothurnis
Densum caesarie terque quaterque caput.

Supra ℣. 12. *comam* dixerat. Claud. libr. II.

II. de Rapt. Prof. ℣. 247.

Interea volucri fertur Proferpina curfu
Caefariem diffufa noto.

Et libr. III. ℣. 86.

Squallebat pulcrior auro
Caefaries.

Sic & alibi non raro loquitur Claudianus, ut & Virgilius, cujus locum jam notarunt Lexicographi.

CAP. II.

ARGUMENTUM.

I. *Coma* ξανθὴ *feu flava maxime olim fuit commendata.* II. *Quae ratio, quamobrem* ξανθὸς *& flavus idem fit ac pulcer.* III. *Eadem comae flavae eft fulva & rutilans. Claudianus expof. & rutila, rufa, rubea.* IV. *Ejufdem coloris funt capilli crocei.* Κροκόπεπλος *Aurora. Martianus Capella & Anthologia Emend. ut & rofei capilli. Heliodori interpres notatus.* V. Χρύσεοι *& aurei capilli pro flavis.* Χρυσοκόμης *Bacchus. Venus cur aurea dicta. Venus a crinibus laudata. Deorum inftrumenta aurea.* VI. *Capillus flagrans feu fragrans.*

grans. Auctor Ciris Emend. Coma succina flava est, succinum enim eum colorem praefert; flavi epitheton mellis apud Poetas. Baetica vellera flavi erant coloris.

§. I. INstituti non est nostri multis & verborum & sententiarum flosculis, pluribusque ambagibus hanc rem tractare, itaque ad partem eam, quam de comis explicare constitui, statim me conferam. Prima se mihi accingenti offert *coma flava*, utpote pulcerrima & omnibus fere populis laudatissima. Neque mirum, cum *flavus color* fuerit faustitatis & laetitiae index, docente ad Tibullum libr. I. El. VIII. ℣. 46. & libr. II. El. II. ℣. 18. elegantissimo Brouckhusio. *Flavus color* qualis sit docet Gellius. libr. II. Noct. Att. cap. XXVI. *Flavus videtur ex viridi & rufo & albo concretus, sic flaventes comae* &c. Hunc igitur colorem in comis probatissimum fuisse ostendit Lucianus in Dial. Diog. & Poll. p. 264. ubi haec in mandatis dat Philosophus Polluci τοῖς καλοῖς γε καὶ ἰσχυροῖς λέγε, ὅτι παρ' ἡμῖν οὔτε ἡ ξανθὴ κόμη, οὔτε τὰ χαροπὰ ἢ μέλανα ὄμματα, ἢ ἐρύθημα ἐπὶ τοῦ προσώπου ἔτι ἐςί. *formosis illis & robustis dic, apud nos neque flavam comam, neque caesios vel nigros oculos, nec*

nec faciei ruborem amplius esse Cui loco adjungas licet Aelian. libr. XII. Var. Hist. cap. I. p. m. 657. Ovid. libr. V. Fast. ℣. 609.

Aura sinus implet, flavos movet aura capillos
Sidoni, sic fueras accipienda Jovi.

Glossa ad Petron. cap. CX. *capillitium flavum commendat.* Galenum quoque existimasse flavos rubentesque capillos bonam corporis constitutionem significare notat Salmuth ad Pancirolli Res Deperditas tit. XLIV. p. 189. Sed de pulcritudine harum comarum pleni sunt omnium libri, & res est notissima, ideoque actum agere non fert animus. Qui plura scire cupiat, evolvat Barthium Advers. libr. LVIII. cap. XVII. Salas ad Petron. cap. CX. Feith. Antiq. Hom. libr. III. cap. X. Et praesertim Eleg. Brouckh. ad Tibull. libr. I. El. VI. ℣. 8. aliosque, quos hic coacervare fastidio foret.

II. Hic flavi capillitii honor, & pulcritudo effecit, ut apud optimos quoscunque Auctores ξανθὸς & *flavus* pro pulcro ponantur. Ξανθὸν certe per καλὸν exponit Hesych. nec desunt hujus significationis apud alios exempla. Callim. Epigr. VI. ℣. 3.

Καὶ ξανθὴν Ἰόλειαν.

Quod Vulcanius vertit

Formosamque Iolen.

Et ita Schol. ad Call. Hymn. in Dianam ỷ. 209. ξανθὴν explicare videtur per καλήν. Nec dissimili modo accipi posset Theocritus Idyll. VII. ỷ. 116.

> Καὶ οἰκεῦντες ξανθᾶς ἕδος αἰπὺ Διώνας.
> *Et habitantes formosae aedem altam Diones.*

Et Anthol. libr. VII. carm. 185.

> Κύκνος ἐπὶ ξανθὴν μητέρα τῆς Ελένης.
> *Cygnus adpulcram matrem Helenes.*

Unde Hylas dicitur ξανθὸς apud Theocr. Idyll. XIII. ỷ. 36. quem καλὸν vocat Anton. Liber. cap. XXVI. Metam. & Orpheus in Argon. ỷ. 225. Alia vide apud Leonidam in Anthol. libr. III. cap. VI. carm. 5. & Pindarum Nem. Od. V. ỷ. 99. Graecos imitati sunt Latini. Catull. carm. LXV. ỷ. 95.

> *Qualibus incensam jactastis mente puellam,*
> *Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem.*

Ubi Conf. Statium. & sic Juven. Sat. VI. ỷ. 354.

Et

Et flavam, cui det mandata, Puellam.

Ubi recte Britann. *Flavam pulcram: nam ut diximus ante* (Sat. V. ℣. 115.) *Poetae flavum pulcrum appellant.*

III. Eadem huic erit *coma fulva.* Servius namque ad Virg. libr. X. Aen. ℣. 562. *fulvum Camertem* per ξανθὸν explicat. Ovid. libr. XII. Met. ℣. 273.

Tempora perfringit fulvo protecta capillo.

Stat. libr. I. Achill. ℣. 161.

Niveo natat ignis in ore
Purpureus, fulvoque nitet coma gratior auro.

Ovid. libr. III. ex Pont. El. II. ℣. 74.

Ambiat ut fulvas infula longa comas.

Videatur Junius de Pict. libr. III. cap. IX. §. 6. Et eo modo exponendus Claudian. libr. I. Laud. Stil. ℣. 203.

Crinigero flaventes vertice reges.

Quibus verbis respicit ad jus Capillitii Regum Francorum; de quo adeas Bissèlium & Goldastum ad Eginharti Vit. Car. Magn. cap. I. Sunt etiam praeterea *rutilae* dictae ab Ovid. libr. II. Met. ℣. 319.

At Phaeton rutilos flamma populante capillos

pillos
Volvitur in praeceps.

Elegantissimus hanc in rem est Ausonii locus Epistola IV. ℣. 42.

Sic certe crinem flavus, niveusque lacertos,
Caesariem rutilam per candida colla refundis.

Et Silii Italici libr. IV. ℣. 200.

Occumbit Sarmens, flavum qui ponere victor
Caesariem crinemque tibi, Gradive, vovebat,
Auro certantem, & rutilum sub vertice nodum.

Inspice Ill. Heins. ad libr. V. Met. Ovidii ℣. 440. & ad Claudian. in Nupt. Honor. & Mariae. ℣. 242. Nec dissimiles sunt *crines rutilantes* ap. Claudian. libr. I. Laud. Stil. ℣. 38.

Nec fida Valenti
Dextera duxisset rutilantes crinibus alas.

Quos *rufos* appellat Senec. libr. III. de Ira cap. XXVI. *non est Aethiopis inter suos insignitus color, nec rufus crinis & coactus in nodum apud Germanos, utrumque decet.* Hinc

Hinc illud decantatum Martial. libr. XIV. Epigr. CLXXVI.

Rufi Persona Batavi.

Vide Lipsium ad Tacit. de Morib. Germ. cap. IV. & Cel. Millium. Diss. de Vitulo Aureo. §. 10. Nec insolita est haec loquendi ratio, cum genus pro specie ponatur; *rufus* enim est genus, cujus species sunt *fulvus*, *flavus*, *rutilus*, *rubidus*, *luteus*, &c. Docente Frontone apud A. Gell. libr. II. Noct. Att. cap. XXVI. Sedulo tamen cavere oportet, ne rufus & flavus capillorum color facile inter se commutetur: maxima enim inter eos existit differentia, cum hic formae decus, ille fastidiosae turpitudinis habeatur indicium. Huc etiam refero *rubeos capillos* apud Firmicum libr. IV. cap. XII. *Mars, si geniturae Dominus fuerit effectus, faciet asperos, invictos, & qui nullis rationibus subjugentur, fortes, aequales, ignotos, rubeis capillis, oculis sanguinolentis, imperiosos. Rubeos* hic *capillos* per *flavos* interpretor, quod Heroes Virique bellicosi *flava coma* ornari soleant.

IV Huic etiam conveniunt *capilli crocei*, quos memorat Ovid. libr. I. Art. ℣. 529.

Utque erat e sommis tunica velata recincta,

Nuda

Nuda pedem, croceas irreligata comas.

Croceus enim color rubicundus est, ut discas ex Servio. ad Virg. Ecl IV. ℣. 44. Et Paschalio de Coronis lib. III. cap. XIV. Martian. Cap. lib. II. p. 36. *ipsa species ovi interioris crocino* (ita lege) *circumlita interius rutilabat*. Ovid. libr. II. Am. El. IV. ℣. 43.

Seu flavent, placuit croceis Aurora capillis.

Hanc ob causam Aurora in Anthol. libr. IV. cap. XXIII. carm. 2. dicitur κροκόπεπλος, ut legendum est, non κροκόπελος, quod forte vitio Typothetarum in editione, qua utor, irrepsit, unde Martian. Cap. libr. II. de Nupt. Phil. p. 28.

Et jam tum roseo subtexere sidera peplo
Coeperat ambrosium promens Aurora pudorem.

Sic *croceus* Aurorae *amictus* apud Ovid. libr. III. Art. ℣. 179. Confer Emmenes. ad Virg. libr. I. Æn. ℣. 481. Roseis quoque capillis ornatur in Catal. Scal. p. 169.

Aurea fulgebat roseis Aurora capillis,
Et matutino rore madebat humus.

Roseorum crinium quoque mentio fit apud Catullum carm. LXV. ℣. 310.

At

At roseo niveae residebant vertice vittae.

Heliodorus libr. III. Aethiop. p. 134. Edit. Commel. Δάφνης ἁπαλοὶ κλῶνες ἔστεφον, ῥοδοειδῆτε καὶ ἡλιῶσαν διαδέοντες. *Laurus teneri rami cingebant, rosae similem & flavam comam ligantes.* Ηλιῶσαν male vertebatur *candidam*, cum sit coma *Soli similis seu flava*, quam vocis significationem recte adstruit Barnesius ad Anacr. carm. XXIX.

V. Eodem sensu χρύσιοι πλοχμοὶ *aurei cincinni* pro *flavis* occurrunt apud Apollon. Rhod. libr. II. Argon. ℣. 678. & κόμη κατάχρυσος τῇ χροιᾷ apud Achill. Tat. in Erot. libr. V. p. 307. Adde Philost. libr. II. Iconum. V. Χρυσοκόμης, *auricomus* ob flavum capillorum colorem dicitur Bacchus ab Hesiodo. Theog. ℣. 947.

Χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην.
Auricomus vero Bacchus flavam Ariadnem.

Vide & Athen. Deipn. libr. XIII. cap. II. p. 564. Χρυσιοβόστρυχε Γαλάτεια *aureos comae vortices habens Galatea.* Virgil. libr. VIII. Aen. ℣. 659.

Aurea caesaries ollis atque aurea vestis.

De Gallis loquitur., quos flavos habuisse capillos nemo dubitat. *Crinis simillimus auro.*

ro, apud Calpurn. Ecl. VI. ℣. 14. Orph. Argon. ℣. 1217.

Ἀπὸ κρατὸς γὰρ ἔθειραι
Πυρσαῖς ἀκτίνεσσιν ἀλίγκιοι ἠώρηντο.
Ex capite enim crines
Igneis radiis similes pendebant.

Et hinc forte est, quod Venerem Poetae solenni epitheto *auream* vocarint. Homer. Il. Γ. ℣. 64.

Μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε χρυσῆς Ἀφροδίτης.
Ne mihi praemia exoptata exprobra aureae Veneris.

Miscell. Fragm. Callim. a Spanh. collecta IV.

Τίς δὲ χάρις; τί δὲ τερπνὸν ἄνευ χρυσῆς Ἀφροδίτης
Quae vero gratia, & quae jucunditas absque aurea Venere

Alia loca invenies in Anthol. libr. IV. cap. XVIII. carm. 34. & libr. VII. Cam. 98. & 161. Lucian. Imag. p. 7. & 15. Ovid. XVI. Her. ℣. 35.

Te peto quam lecto pepigit Venus aurea nostro.

Et ℣. 289. libr. X. Met. ℣. 277. Virg. libr. X. Æn. ℣. 16.

At

At non Venus aurea contra
Pauca refert.

Ad quem locum video Taubmannum velle *aureum* hoc sensu pro pulcro poni, ut saepissime apud Poetas. Id etiam Grang. ad Juven. Sat. VI. ℣. 122. aliique existimarunt; nec multum hac de re contendo sed si eo sensu accipi deberet etiam alii Dii Deaeque eodem *epitheto solenni* ornarentur, quod tamen non ita fieri observamus. Et praecipue quidem Venus a crinibus laudatur. Ausonius in Eclogis. p. 552. Edit. Toll.

Barba Jovi, crines Veneri decor, ergo
necesse est,
Ut nolint demi, quo sibi uterque placet.

Nec quidquam impedit, quo minus verba dulcissimi Sannazarii apponantur Lib. I. Epigr. in Caecilianum:

Si tibi per Genium fas est jurare Minervae,
Per Veneris flavas, Caeciliane, comas.

Lucianus consuli potest in Imagin. p. 5. Neque nescius sum omnia Dearum instrumenta, arma, ornatus, insignia vel indumenta *aurea* describi, quod jam docuerat Spanhem. ad Callim. in Lavacr. Pall. ℣. 31. Et

Et forte eodem modo de Venere accipi posset, sed haec examinanda relinquo.

VI. Ad flavorum praeterea capillorum classem referri posse videtur, si sana sit scriptura, *capillus flagrans* apud Auct. Ciris ℣. 168.

Non Storace idaeo flagrantes picta capillos.

Certe Storacem etiam melleum, id est, flavum emittere liquorem erudite, ut solet, ostendit Salmasius Exerc. Plin. p. 383. & seqq. ubi tamen memoria lapsus, ut puto, nullam enim mutationis causam addit, hunc versum ita profert:

Et Storace idaeo vinctos perfusa capillos.

Verior est Nob. Heinsii emendatio in curis secundis ad Ovid. XV. Heroid. ℣. 76. legendum esse *fragrantes capillos*, in cujus sententiam quin discessionem facturi sint Eruditi, nullus dubito. Nec dissimilis videtur *coma succina*, de qua Plinius Libr. XXXVII. Hist. Nat. cap III. *Domitius Nero in ceteris vitae suae portentis capillos quoque Conjugis suae Poppaeae in nomen adoptaverat, quodam etiam carmine succinos* (ut legit. Salmas. Exerc. Plin. p. 62) *appellando*, de quo crinium colore etiam agit Ovid. libr. XV. Met. ℣. 315.

Et

Et huic Sybaris nostris conterminus arvis
Electro similes faciunt auroque capillos.

Confer. Salmas. ad Solin. p. 540. Dixerat in prioribus Plinius, quosdam esse, quibus in succino *decocti mellis lenis color placeat*. Et facit cum Plinio Priscianus in Perieg. ℣. 281.

Hic electra legunt alnis stillantia Celtae,
Succina quae memorant, mellis vinique colore.

Mellis autem colorem flavum esse, vel ex eo satis clarum fit, quod Poetae melli *flavi* epitheton addant. Ovid. libr. I. Met. ℣. 112. &c Alcaeus in Anthol. libr. III. cap. XXV. carm. 17. Ita capilli melli adsimilantur apud Appulejum libr. II. Met. p. 118. edit. quam procuravit Elmenh: *& nunc ut aurum coruscans in lenem mellis deprimitur umbram.* Vide quam appositus sit hic ad nostram sententiam confirmandam locus. Alia de colore succino habet Eruditiss. Munckerus ad Hygini Fab. CLIV. De *flavis comis* quoque est intelligendus Martial. libr. V. Epigr. XXXVIII.

Quae crine vincit Baetici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitellam.

Baetica enim *vellera* flava erant, teste eodem Martial. libr. XII. Epigr. C.

Baetis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tinguis aquis.

Adeundus est Salmasius Plin. Exerc. p. 224. Et A Lapide ad Cant. Cant. cap. IV. comm. 1. p. 168.

CAP. III.

ARGUMENTUM.

I. *Coma flava ex Servii aliorumque sententia propria est. meretricum.* II. *Ab iis discessum, cum etiam Matronae & Virgines castae ea coma ornentur; Strophium Virginibus proprium, aliquando tamen meretricibus tribuitur. Demsterus notatus.* III. *Ex Juvenali non recte colligitur flavos capillos meretricum fuisse. Qui lupanar intrabant, caput obtegebant: Galeri flavi erant, quibus tegebant calvitiem. Iis utebantur meretrices, quae erant tonsae.* IV. *Nec favet Servio Virgilius. Servius sibi contrarius.* V. *Horatius quoque nil juvat.* Πυῤῥὸς *flavus.* VI. *Flava coma ornatur Bacchus, Cupido, Mercurius, Minerva, Ceres, Diana; flavus de segete*

gete matura. VII. *Roma flavos habuit capillos. Dea fuit culta. Viridis pro flavus. Servius, Rutilius, Apocalypsis Expl.* VIII. *Heroes flava coma describuntur, Principibus enim Viris decor, corporis habebatur proprius.* IX. *Integri populi flavi fuerunt. Callimachus expos. Auro capillos ornabant. Tibullus vindic.* X. *Rubri capilli & supercilia erant exosi. Cavebant ne aestu Solis capilli urerentur.*

§. I. HAec de pulcritudine variisque appellationibus flavorum crinium. Videamus nunc quibus hos potissimum adscripsere veteres. Serv. ad Virg. libr. IV. Aen. ℣. 698. *Matronis nunquam flava coma dabatur, sed nigra, unde Juvenal.* (Sat. VI. ℣. 120.)

Sed nigrum flavo crinem abscondente galero.

Schol. Juvenal. (qui aliis Probus, aliis alius videtur, teste Brouckh. ad Tibull. libr. II. El. V. ℣. 45. cuique tuto fidem haberi negat Pignor. de Serv. p. m. 152.) loc. laud *Nigro crine utebantur Matronae.* Horum auctoritatem passim secuti sunt Viri Docti. Barthius Adverf. libr. LVIII. cap. XVII. Britann. ad Juven. l. laud. Pith. & Wouw.

ad Petron. CX. Dion. Gothof. ad. l. 15. §. 15. ff. de injur. aliique.

II. Non facile negarim, comam flavam saepius attributam fuisse meretricibus: nec mirum. Nam cum haec coma elegantissimi esset coloris, & pulcritudine praesertim malisque artibus placere deberent infelicissimae hae publicarum libidinum victimae, ob coloris praecipue festivitatem & elegantiam eam adsumsisse videri possent. Sed ex eo minime consequitur, quia saepe usae fuerunt flavis capillis, propterea flavos capillos Matronis nunquam datos. Immo ex disertis Scriptorum testimoniis, etiam Matronas & Virgines honestas comam flavam gestasse, demonstrari potest. Sic certe Lucretiae, quae apud omnes castitatis exemplum proponitur, flavos crines adscribit Ovidius II. Fast. ℣. 763.

Forma placet, niveusque color, flavique capilli,
Quique aderat nulla factus ab arte decor.

Valerius quoque Max. libr. II. cap. I. Ex. 5. prodit: *Matronas, quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilasse.* Qui locus certe dissentientium conturbat rationes, si modo Scriptoris sententia recte perpendatur, &

cum

cum Festo conferatur in voce *Rutilium. Rutilium rufum significat, cujus coloris studiosae etiam antiquae mulieres fuerunt. Unde traxerunt cognomina Rutilas, ut indicat frequenter Afranius.* Ξανθὰς Athalantae κόμας facit Aelianus libr. XIII. V. H. cap. I. Ξανθὴ δὲ ἦν αὐτῆς ἡ κόμη. *Flava autem erat ejus coma.* Et apud Ovidium XX. Her. ℣. 57. Acontius Cydippae scribit:

Hoc flavi faciunt crines & eburnea cervix,
Quaeque, precor, veniant in mea colla, manus.

Putandum scilicet Acontium pro meretrice habuisse, quam pure adeo & caste amabat. Et ipsa, si ei tuto credere liceat, se virginem vocat Epist. Heroid. XXI. ℣. 192.

Sed meminit nostrum virginis esse torum.

Nec inelegans hac in re Senecae locus Oedipo ℣. 418.

Creveras falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo.

Laviniae praeterea *flavos* addit *crines* Virgilius. XII. Aeneid. ℣. 605.

Filia prima manu flavos Lavinia crines,
Et roseas laniata genas.

Ariadnae doctissimus Catullus carm. LXV. ℣. 62.

Non flavo retinens subtilem vertice mitram.

Quem locum miror cur protulerit Demster. ad Rosin. libr. V. Antiq. Rom. cap. XXXVII. p. 435. ut ex eo contrariam probaret opinionem, adducens Ariadnen tanquam prostratae pudicitiae foeminam. Aliud utique docet hic ipse versus, cum *mitram* ei adscribat Catullus, quam propriam Virginibus fuisse ipse docet Demst. ad Rosin. libr. V. cap. XXXV. p. 416. sic versu 34. Catullus meminit *Strophii*, quod etiam est Virginum. Vide Nonium in *Strophium* & Terent. Eun. Act. II. Sc. III. ℣. 21. Quamvis & meretricibus tribuatur. Lucian. Dial. Meretr. p. 546. & Aristenaet. libr. I. Epist. XXV. Praeterea, quod omnem dubitationem tollit, apud Catullum eodem loco ℣. 86. hujus Ariadnes *Lectulus castus* vocatur.

III. Non multum facere ad rem videtur, quem contrariae sententiae Patroni objiciunt, Juvenalis Sat. VI. ℣. 120.

Sed nigrum flavo crinem abscondente galero.

Non enim Messalina *galerum flavum* adsumebat, quia *flavus color* proprius esset meretricum, sed ut tuto sub eo latere posset, nec a quovis agnosci, cum lupanar intraret. Certe id in more positum fuisse veteribus, si ganeas aliave impura loca adire vellent comam mutare galero, aut quacunque demum alia re caput obtegere, vel ut vitarent periculum, vel ut pudori consulerent, plurimi Auctores testantur. Sic Caligulam *ganeas atque adulteria capillamento celatum obiisse* scribit in ejus vita Suet. cap. XI. Et in Nerone. cap. XXVI. *Post crepusculum statim, arrepto pileo vel galero, popinas inibat.* Ergasilus profligati pudoris adolescentes arguit, quod aperto capite ganeas intrent apud Plaut. Capt. Act. III. Sc. ỷ. I. 15.

Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt.

Vide Comm. ad Petron. cap. VII. Lamb. ad Plaut. Mostell. Act. II. Sc. I. ỷ. 77. Almelov. Antiq. Sacr. p. 41. & Doct. Dougt in Anal. Sacris ad Gen. cap. XXXVIII. comm. 14. Quem locum eodem modo ex-

 plicat.

plicat Dion. Gothofr. ad l. 15. §. 15. ff. de injur. Et ita multis aliis in rebus eo modo se contra insidias tegere solebant, quod non raro profuisse patet ex Livio libr. XXII. cap. I. *Et mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam sese ab insidiis munierat.* Altera etiam ratio esse potest, eam hoc fecisse, ut tanto pulcrior niteret, nam, ut recte Firmicus libr. VIII. cap. VII. *appositis alienis crinibus fictam pulcritudinem mentiebantur.* Praeterea etiam galeri ut plurimum ex *flavis capillis* fiebant. Ovid. libr. I. Am. El. XIV. ℣. 45.

Nunc tibi captivos mittet Germania crines,
Culta triumphatae munere gentis eris.

Respicit ibi ad flavas Germanorum comas, ex quibus galeri fiebant. Valer. Flacc. libr. VI. ℣. 226.

Non flava galeri
Caesaries, pictoque juvat subtegmine bracae.

Charis. libr. I. Inst. Gramm. p. 61. *Galeros masc. genere dixit Corn. Severus:*

Et flavo praetexerat ora galero.

Gellius quoque libr. II. cap. XXVI. ex Virg.

Virg. libr. VII. Aen. ℣. 688. *fulvos galeros* memorat. Ratio denique, cur *galero* usa fuerit Messalina, inde deduci posset, quod apud veteres meretrices tonsis essent capillis, ut igitur melius meretricem profiteri posset, adsumsit galerum, qui erant adscititiae comae ad tegendam calvitiem. Suet. Othone cap. XII. *vulso corpore galericulo propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignosceret.* Unde *calceus capitis* dicitur apud Martial. libr. XII. Epigr. XLV. confer Herodianum libr. IV. cap. VII. §. 6. & Dietericum Ant. Bibl. p. 565. Contra meretrix, ut Matrona videretur, crines adsumere jubetur apud Plaut. Mil. Act. III. Sc. I. ℣. 196.

Utique eam huc ornatam adducas Matronarum modo,
Capite comto, crines vittasque habeat.

Meretrices autem galericulis usas fuisse colligitur ex Luciano Dial. Mer. p. 526. & 544. Ὑποβλέψας ποτὲ τοὺς κροτάφους αὐτῆς, ἔντα μόνον τὰς αὐτῆς τρίχας ἔχει, τὰ δὲ ἄλλα φενάκη βατεῖα. *Adspiciens aliquando ejus tempora, ibi ingenuos tantum crines habet, cetera vero densissimus erat galerus.* Meretrices, quod diximus, tonsas fuisse docet Salm. de Coma. p. 60. & 175. Faber. libr. III. Sem. cap. XXI. Casaub. ad Suet.

 Aug.

Aug. cap. XLV. Lipſ. ad Tacit. de Mor. Germ. cap. XIX. Et praecipue in adulteras id fuit obſervatum, quamobrem etiam maximum habebatur probrum, tondere foeminam. Savaro ad Sidon. Apoll. libr. V. Ep. XIII. Hinc Mulieres, ſi capilli; qui morbo aliave re defluxerant, reſtituerentur, ſingulari modo Diis gratias agebant. Patet id ex Inſcr. apud Gruter. p. MLXVII. num. 4.

MINERVAE
MEMORI. TULLI
A. SUPERIANA. RES
TITUTIONE. FACTA
SIBI. CAPILLORUM.

Quare varia contra defluvium capillorum excogitata ſunt remedia, quae vide apud Celſum libr. VI. de Med. cap. I. Sed ne longius aberremus, alia ad hunc Juvenalis locum reſpondet Kobierzykius de Lux. Rom. libr. I. cap. VI.

IV. Nec video quid praeſidii ſibi quaerant diverſae ſententiae Antiſtites in loco Virg. libr. IV. Aen. ℣. 698.

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat.

Neque

Neque negamus, ex commento poëtico rem habuisse cum Aenea Didonem. Non tamen ex eo statim sequitur, meretricem eam fuisse, verum Aeneae nuptias animo agitabat, quod vel ex ipsa Didonis morte satis clarum fit. Vide Ferrar. de Re Vest. libr. IV. cap. XX. Et Servius ad eum locum cum de flavis comis dixisset, addit & hoc: *Aut flavum, quia in Catone legitur de matronarum crinibus, flavo cinere unctitabant, ut rutilae essent.* Si jam flava coma propria fuisset meretricum, non matronas rutilasse crines dicere ausus fuisset Cato, nec est, cur Servius hoc addidisset, cum omnino sententiam suam evertat. Quidquid sit, haec cum praecedentibus non conveniunt, nec concoquere poterat Erudit. Salm. ad Tertull. Pall. p. 353.

V. Neque multum praesidii habent in Horatio libr. I. Od. V. ℣. 1.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urguet odoribus
Grato Pyrrha sub antro,
Cui flavam religas comam
Simplex munditiis.

Ibi enim Poëta *Pyrrhae* comam non facit *flavam*, quia esset meretrix, verum respicere videtur ad vocem *pyrrham, id est, flavam.* Πυῤῥὸς enim Graecis est *flavus, rutilus.*

Serv.

Serv. ad Virg. libr. II. Aen. ℣. 469. *Pyrrhus a colore comae dictus: qui latine Byrrus dicitur, ita & Sallustius Crispus.* Sic *Byrrhia* est in Terentii fabulis. Πυῤῥὸς enim in Comoediis debebat esse Servus. Vide Polluc. Onom. libr. IV. cap. XIX. segm. 150. Πυῤῥᾶιος servus Aristotelis apud. Diog. Laertium libr. V. segm. 13. Adde Gell. libr. II. cap. XXVI. Column. ad Enn. libr. V. Ann. p. 57. Edit. Hess. Et Th. Munckerum ad Hyginum Fab. XCVII. in fine. Πυῤῥόθριξ est apud Pollucem libr. IV. cap. XIX. segm. 149. Πυῤῥότριχος apud Theocrit. Idyll. VIII. ℣. 3.

Αμφω τώγ' ἤτην πυῤῥοτρίχω.
Ambo hi erant flavis crinibus.

Sic puto respondimus adversariorum objectionibus, quae quidem firmissimae viderentur, alias, quia non sint tanti ponderis, sicco pede praeteribo.

VI. Nunc porro videamus, quibus praeterea flavos capillos adscripserit antiquitas. Neque enim si coma flava mollitiei & artis meretriciae indicium fuisset, causam ullam reperio, cur eam non solum Diis & Deabus, verum etiam Heroibus & quibuscunque Viris fortibus attribuerint veteres. Sic certe *aureo crine decorus*

corus dicitur Bacchus apud Hesiodum Theogon. ỿ. 947.

> Χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην.
> *Auricomus vero Bacchus flavam Ariadnen.*

Et Ερως sive Cupido apud dulciss. Anacr. carm. VI.

> Ο δ' Ερως ὁ χρυσοχαίτης
> Μετὰ τοῦ καλοῦ Λυαίου.
> *Ipse amor auricomus*
> *Una cum pulcro Lyaeo.*

Et sic in fragm. Anacr. ỿ. 1204. Χρυσοκόμης Ερως. Mercurius apud Virg. libr. IV. Aen. ỿ. 558.

> *Omnia Mercurio similis vocemque colo-*
> *remque,*
> *Et crines flavos, & membra decora Ju-*
> *ventae.*

Idem de Minerva (quae tamen castitatem semper illaesam servavit, si Poëtis ulla habenda est fides,) tradit Ovidius VI. Fast. ỿ. 652.

> *Nunc ades o coeptis, flava Minerva, meis.*

Et libr. I. Trist. El. IX. ỿ. 1.

> *Est mihi, sitque precor flavae tutela Mi-*
> *nervae.*

Et ita quidem dici putatur ob folium oli-

olivae ex ima parte flavae, unde

Φύλλοις ἐλαιᾶν

Χρυσέοισι μιχθέντα.

Foliis olearum

Aureis, id est, flavis, *permixtum.*

Apud Pindarum Nemeis Od. I. ℣. 25. Vide Barth. ad Stat. libr. III. Theb. ℣. 507. Taubm. ad Virg. libr. V. Aen. ℣. 309. Idem de Cerere tradunt Poëtae. Ovid. libr. VI. Met. ℣. 118.

Et te, flava comas, frugum mitissima mater.

Et libr. IV. Fast. ℣. 424. Serv. ad Virg libr. I. Georg. ℣. 96.

Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo.

Flava dicitur ob aristarum colorem in maturitatem. & sic *flava arva* per *maturas segetes* explicat Idem ad libr. I. Georg ℣. 316. unde intelligendus Tibull. libr. II. El. I. ℣. 78.

Deponet flavas annua terra comas.

Vide etiam Anthol. libr. I. cap. XCI. carm. 8. Notavit plura Bosch. ad Petron. cap. CXXXV. Ξανθὴ quoque dicitur Diana apud Anacr. carm. LX.

Ξανθὴ παῖ Διὸς, ἀγρίων
Δέσποιν', Ἄρτεμι, θηρῶν.

Flava

Flava filia Jovis, agrestium
Domina, Diana, ferarum.

Quod, quo minus de *flavis capillis* accipiatur, nihil obstat.

VII. *Romam* Deam *flaventibus comis* ornatam fuisse colligi videtur ex Prudent. libr. II. contra Symmach. ℣. 655. ubi loquentem Romam inducit:

Sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam flavescere rursus
Canitiem.

Igitur se *flavas* habuisse antea *comas* fingit: quo videntur pertinere versus, quos ex Mariano seu Marino Lupercaliorum Poëta laudat Servius ad Virgilium Ecl. I. ℣. 20. quos mire corruptos ita numeris suis restituit Salmas. Plin. Exerc. p. 6.

Roma ante Romulum fuit,
Et ab ea nomen Romulus
Adquisivit . . . .
Sed Diva flava & candida
Roma Aesculapi filia
Novum nomen Latio facit,
Hanc Conditricis nomine
Ab ipso omnes Romam vocant.

Elegantissima haec Salmasii conjectura facit,

cit, ut sine ulla haesitatione a Swarthio discedere liceat, qui libr. III. Anal. cap. X. pro certo dicebat hic scribendum esse: *Sed de Italo & Jano ita : Roma Aesculapii* &c. Saniora de hoc loco profert summus Rutgersius libr. I. Var. Lect. cap. XX. & Barthius libr. XX. Advers. cap. II. *Romam* autem pro Dea habitam fuisse, non unus nobis veterum testis superest. Lucan. libr. I. ℣. 198.


Et residens celsa latialis Jupiter Alba
Vestalesque foci , summique o Numinis instar
Roma , fave coeptis.

Vid. Michael Ang. Causeus de Simul. Deor. tab. I. Ortelius de Deor. Cap. in *Roma.* Lips. ad Tacit. libr. IV. Ann. cap. LVI. Sidon. Apoll. carm. VII. ℣. 502.

Testor , Roma , tuum nobis venerabile Numen.

Adde Illust. Spanh. Diss. III. de Praest & Usu Num. p. 138. Edit. maj. qui ibidem loci illustrat locum Apocal. cap. XIII. comm. 1. *de nomine Blasphemiae*, ubi respici censet ad hunc Deae *Romae* cultum. Et Epist. IV. ad Morellium p. 278.

In



In his nummis forma sedentis Mulieris effingitur, unde est in Apocal. cap. XVIII. comm. 7. Κάθημαι Βασίλισσα, *sedeo Regina.* Videatur Cl. le Moyne in Var. Sacr. tom. II. p. 70. *Reginae* enim dicebantur Deae, unde *Juno Regina* apud Cicer. pro Domo cap. LVII. Virg. libr. I. Aen. ℣. 9. & 76. Eodem plane modo *Roma Regina* dicitur a Rutil. libr. I. Itin. ℣. 47.

Exaudi Regina tui pulcerrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos.

Ita βασιλεύουσα Ρώμη est apud Eunap. in Proaeresio p. 149. Haereo igitur, an non locus apud eundem Rutilium libr. I. ℣. 115.

Erige crinales laurus, seniumque sacrati
Verticis in virides Roma refinge comas.

Itidem de *flava coma* Deae *Romae* sit accipiendus, quamvis non ignorem esse, qui alio modo interpretentur. *Virides* namque *comae* sunt eaedem, quae flavae; Hi enim colores saepius inter se commutari solent, ut viridis pro flavo, flavus pro viridi ponatur, quod dudum ostendit Vir elegantis ingenii Jac. Tollius ad Ausonii Bussulam ỳ. 10. sic flavum per viride vertit Servius ad libr. V. Aen. ỳ. 309.

Flavaque caput nectetur oliva.

Id est, viridi, ut supra, jaspide fulva. Et *fulvum* per viride exponit idem ad Virg. libr. IV Aen. ỳ. 261. *Jaspide autem fulva pro viridi, ut*, fulvaque caput nectentur oliva. Sic scripsit Servius vitio memoriae pro *flavaque* &c. vel est a librariis intrusum. Inspiciatur quoque de his coloribus Vossius in Etym. V. *Flavus.*

VIII. Neque tantum de Diis Deabusque haec tradunt Veteres, verum etiam Homerus aliique, suos Heroas, Principes & Viros quoscunque illustres, quorum antea fortitudinem & bene gesta laudarant, *flava coma* depingunt, non in effoeminati animi signum, sed quia decus honorque corporis certa quasi lege Heroibus & Principibus esset datus, unde etiam Paris apud Ovidium jactat ex pulcritudi-

ne

ne corporis sui judicari potuisse, non se ex plebe, sed ex nobiliori quadam & illustriori familia prognatum esse Ep. XVI. Her. ỳ. 51.

Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium tectae nobilitatis erant.

Athenaeus Deipn. libr. XIII. cap. II. p. 565. & Comment. ad Nepot. Iphicr. cap. III. Ulyssem certe, Menelaum atque alios *flavo crine* decoros apud Homerum describi plerique jam notarunt. Jasonis quoque caput ξανθὸν describit Apollon. Rhod. libr. I. Argon. ỳ. 1084. Ejusdem *capilli flavi* apud Ovid. XII. Her. ỳ. 11.

Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli,
Et decor & linguae gratia ficta tuae.

Idem de Achille Claudianus libr. IV. Cons. Honor. ỳ. 557.

Serviretque tuis contemto Castore frenis,
Cyllarus, & flavum Xanthus sprevisset Achillem.

Quare etiam ξανθὸς Ἀχιλεὺς est apud Pind. Nem. Od. III. ỳ. 75. Hinc per *Achilleas comas* flavae sunt intelligendae apud Martial. libr. XII. Epigr. LXXXIV.

Dicet Achilleas disposuisse comas.

Menelaus ξανθὸς apud Pind. Nem. Od. VII. ℣. 41. & Theocr. Idyll. XVIII. ℣. 1. Idem Pind. ξανθοκόμας appellat Danaos Od. IX. Nem. ℣. 40. Alia loca non adfero, quae apud Junium de Pictura & alibi satis magno numero videri possunt.

IX. Totis etiam populis hic comarum color videtur fuisse proprius, unde non raro ξανθοὶ seu *flavi* apud Poëtas cognominantur. Sic Germani, Batavi, Rutheni, Suevi, Britanni, aliique plurimi eo epitheto insigniuntur. Loca jam a Viris Erud. sunt allata, ut multa addere supervacanei laboris videri queat. Evolvi possunt Lips. ad Tacit. de Mor. Germ. cap. IV. Raderus ad Martial. libr. XIV. Epigr. XCIX. & CLXXVI. Lindenbr. ad Ammian. Marcell. libr. XV. cap. XII. init. Vir. Doct. ad Suet. Calig. cap. XLVII. Faber in Semest. libr. I. cap. XX. p. 137. Sic quoque Arimaspi (Scythiae Europeae populus) ξανθοὶ vocantur apud Callim. in Delum. ℣. 291.

Πρῶταί τοι τὰ δ' ἔνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν.

Primae tibi hos attulerunt a flavis Arimaspis.

Quamvis Frischlinus ibi putet, ita dictos, quod

quod capillos auro ligare solerent, ex Lucan. libr. III. ỳ. 280.

Hinc & Sidoniae gentes, auroque ligatas
Substringens, Arimaspe, comas.

Verum ex eo hunc Callimachi locum exponendum non putem. Certe Graeci auro solebant ornare capillos, quod patet ex Hom. Il. P. ỳ. 52.

Πλοχμοί θ' οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.
Concinnique, qui auro & argento constringebantur.

Ovid. Ep. XV. Her. ỳ. 75.

Veste tegor vili: nullum est in crinibus aurum,
Non Arabo noster rore capillus olet.

Et idem facere solebant Romani, de quibus Ovid. libr. III. Am. El. XIII. ỳ. 25.

Virginei crines auro gemmaque premuntur,
Et tegit auratos palla superba pedes.

Demster. ad Rosin. libr. V. cap. XXXV. Nunquam tamen iis proprium *flavi* epitheton hanc ob causam attribuitur, quod

si ex ligata auro coma daretur, eodem jure iis attribuendum fuisset. Rectius itaque id ad ipsum capillitii colorem referimus, praesertim cum alii quoque Scythiae populi *flavo crine* describantur. De Satarchis Scythiae Europeae populis Val. Flacc. libr. VI. Argon. ℣. 144.

Sua signa secuti
Exomatae, Toronique & flavi crine Satarchae.

Et de Gelonis Claudian. libr. II. in Eutrop. ℣. 103.

Ecce autem flavis Gradivus abusque Gelonis
Arva cruentato repetebat Thracia curru.

De Getis Isidor. libr. XIX. Orig. cap. XXIII. *Nonnullae enim gentes non solum in vestibus, sed in corpore aliqua sibi propria quasi insignia vindicant, ut videmus cirros Germanorum, . . . pertundunt Arabes aures, flavent capitibus intextis Getae, nitent Albani albentibus crinibus.* Et sic Carnutos Aquitaniae populos *flavos* facit Tibull. libr. I. El. VIII. ℣. 11.

Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna

Car-

Carnuti & flavi caerula lympha Liger.

Neque opus est, ut ibi cum Illustr. Scalig. *flavii* legamus, quod recte observat Brouckh.

X. Ab his autem flavis comis sedulo distinguendi sunt *rubri capilli* quod jam monuit ad Tibull. libr. I. El. VI. ℣. 8. Eleg. Brouckh. Qua in re peccaverat Petrus Gyllius de Bosphoro Thracio cap. XIII. in Thes. Gron. tom. VI. Hi enim in nullo fere pretio & contemtissimi habebantur. Sic Martial. libr. II. Epigr. XXXIII. Philaenim Mulierem deformem derisurus, his verbis eam alloquitur:

Cur non basio te, Philaeni? calva es.
Cur non basio te, Philaeni? rufa es.
Cur non basio te, Philaeni? lusca es.
Te qui basiat, hic Philaeni fellat.

Et libr. XII. Epigr. XXXII.

O Juliarum dedecus Kalendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi;
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus septem.

Et eodem libro. Epigr. LIV. cujus lemma *in Zoilum*, quem a deformitate improbum judicat:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus,
Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

Ex lineamentis enim faciei & corporis deformibus, hominis ingenium pravosque mores censere solebant. Lindebr. ad Ammian. Marcell. libr. XV. cap. VIII. Eodem fere modo Thersiten virorum turpissimum describit Homer. Il. B. part. pr. ỷ. 216. *Rufos* quoque *capillos* deformes judicat non inelegans formarum spectator Clitipho apud Terent. Heaut. act. V. sc. V. ỷ. 17.

Rufamne illa virginem
Caesiam, sparso ore, adunco naso?

Et his verbis turpiculam describi notavit Kuhn. ad Aelian. libr. XII. cap. I. p. 554. Eodem jure *rufa supercilia* censebantur, ut patere potest ex Alexi in Isostasio apud Athenaeum libr. XIII. cap. III. p. 568. ubi Poëta meretricum artificiosissimos comtus & lenocinia exponens inter alia refert:

Τὰς ὀφρῦς πυῤῥὰς ἔχει τὶς, ζωγραφοῦσιν ἀσβόλῳ.
Cui rubra sunt supercilia, ad vivum pingunt fuligine.

Catull. carm. LXVIII. ỷ. 45.

Prae-

Praeterea addebat quendam, quem dicecere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.

Et incertus Auctor in Catal. Pith. libr. II. p. 67. ubi ea, quae non laudare vult, enumerat:

Non oculos: etenim sunt lusci oculi atque patrantes,
Non barbam: rufa est. Non cilia: haud cilia.

Hinc sedulo cavisse videntur, ne comae aestu Solis urerentur, & ita rubrae fierent, unde Tibullus puero, qui pretio invitatus amorem alio transtulerat, imprecatur, ut capilli Sole adusti corrumperentur, & ita eorum pulcritudo tolleretur. Elegantissimi hujus Poëtae versus reperiuntur libr. I. El. X. ℣. 13.

Jam mihi persolvet poenas, pulvisque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Vretur facies, urentur Sole capilli,
Deteret invalidos & via longa pedes.

Propert. libr. IV. El. X. ℣. 44.

Sin aliquam vultusque meus setaeque Leonis

Terrent, & Libyco Sole perusta coma.
Sed de his satis, ad alia pergimus.

CAP. IV.

ARGUMENTUM.

I. *Nigrae comae in honore habebantur. Canticum ill. Corvi a nigredine laudantur.* II. *Splendor nigris comis tribuitur.* Διαστίλβειν, ἐπιστίλβειν. III. *Indecorum erat, si cani capilli nigris intermiscerentur* שחרות, *juventa.* IV. *Supercilia nigra laudabantur.* Ἑλικοβλέφαρος & ἰοβλέφαρος *dicta Venus.* V. *Nigra coma meretricibus datur. Anacreon Expl.* VI. *Et universis etiam populis. Croco se tinguebant Indi.* VII. *Eadem nigrae comae est hyacinthina. Hyacinthus rubens vel nigricans, vaccinia nigra. Hyacinthinus pro nigro. Cicero emend. Ravum mare. Purpura nigra.* VIII. *Graeci saepe* κόμας ὑακινθίνας *pro nigris ponunt.* IX. *Capilli hyacinthini non sunt purpurei. Anacreon expl. Comae violis comparantur.* X. *Canticum expon. Molles comae laudantur.* Οὖλαι κόμαι *pro plexis capillis.* XI. *Canticum*

ticum varie vertitur. Veteres plicis dividebant capillos. Festus expl. vincire de amore.

§. I. FLavis *comis* succedunt *nigrae*, quae fere pulcritudine iis proximae habebantur. Summopere etiam has veteribus in honore fuisse positas testis est non spernendus Vetus Cruquii Schol. ad Horat. libr. I. Od. XXXII. ℣. 11. *Pulcritudo in pueris saepe nigris decoratur oculis & crinibus.* Et idem Horat. Art. Poët. ℣. 37.

> *Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.*

Ovid. libr. II. Am. El. IV. ℣. 41.

> *Seu pendent nivea pulli cervice capilli;*
> *Leda fuit nigra conspicienda coma.*

Sympos. in Aenigm. n. LVIII. de capillo:

> *Sed sum versicolor, albus quandoque futurus,*
> *Malo manere niger, minus ultima fata verebor.*

Πολλὴν καὶ μελαίνην κόμην commendat Aristenaetus libr. I. Ep. VII. Elegantissimus est Appuleji locus libr. II. Metam. p. 118. Edit. Elm. *Quod cum capillis color gratus & nitor splendidus illucet, & contra Solis*

Solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat adſpectus? Et nunc ut aurum coruſcans in lenem mellis deprimitur umbram, nunc corvina nigredine caerulos columbarum colli floſculos aemulatur. Cui addi poteſt Petron. cap. XLIII. *Sed corneolus fuit, aetatem bene ferebat, niger tanquam corvus.* Quae loca tanto libentius ad partes voco; quia illis eleganter illuſtratur Cant. cap. V. comm. 10. *Caput ejus inſigne aurum purgatiſſimum, capilli ejus criſpis diſcriminibus, nigri ut corvus.* Corvi enim nigredine ſua commendantur, uti docuit J. G. Voſſius libr. III. de Idolol. cap. LXXX. Et hinc μελαντέρου epitheton ei attribuitur in Anthol. libr. I. cap. XXII. carm. 8.

Ἐν ποτε παμφαίνοντι μελάντερος αἰθέρι νωμῶν
Σκορπίον ἐκ γαίης οἶδε θορόντα κόραξ.

Quondam in undique fulgenti aethere niger volans
Scorpium in terra vidit ſalientem corvus.

Et *nigri* apud Martial. libr. I. Epigr. LIV.

Sic niger, in ripis errat dum forte Caiſtri,
Inter Ledaeos ridetur corvus olores.

Adde

Adde Anthol. libr. II. cap. XLVI. carm. 17. Ex corvorum ovis nigros tinctura effici capillos ſcribit Aelianus Hiſt. Anim. libr. I. cap. XLVIII. Et Graecis κορακὸς *corvinus* pro nigro ponitur. Salmaſ. ad Tertull. Pall. p. 215. Latinorum praeterea *corvus* derivari volunt a Graecorum κόραξ, quae vox *corvum* notat, κόραξ à κόρος, quod eſt *niger*. Vel a ערב, quo nomine Hebraeis *corvi* appellantur a Rad. ערב, quod notat *obtenebrari*, *obſcurari*; haec eſt Cl. Perizonii ſententia ad Sanctii Minerv. libr. I. cap. X. n. 5. Vide admirandae Eruditionis exemplar Sam. Bochartum part. II. Hier. libr. II. cap. X. (qui Appulejum etiam ad partes vocat) & Muncker. ad Anton. Liber. cap. XX. Hoc modo libentius exponere eum locum malim, quam cum Joanne de Pineda libr. VI. de Rebus Salomonis cap. IV. facere, qui de *flavis comis* intelligit. Hunc tamen ſequitur a Lapide a Cantic. h. l. p. 249.

II. Obſervatu autem non indignum videtur; Appulejum *nitorem ſplendidum* &c. in comis agnoſcere. Nigris enim capillis proprie *ſplendor* & *nitor* adſcribitur, unde de *corvo* Phaedr. libr. I. fab. XIII. ỷ. 6.

O qui tuarum, corve, pennarum eſt nitor,

Quan-

Quantum decoris corpore & vultu geris.

Sic de capillis occurrit in Anthol. libr. VII. carm. 201.

Εἰ δέ τι καὶ πλοκάμοισι διαστίλβουσιν ἄκανθαι.
Sic vero quid & capillis splendent aculei.

Eadem vox hac significatione occurrit carm. 175. Επιστίλβειν utitur de hoc comarum splendore Lucian. Amor. p. 892. Unde εὐβόστρυχον αἴγλην *bene cirratum splendorem* in Anthol. libr. VII. carm. 81. de comis nigris exponere malim.

III. Cum hic itaque color tanto opere probaretur, invenustum habitum fuit, si canities nigros laederet capillos, ita ut cani illis intermiscerentur, de quo saepe Poëtae, ut Anacr. fragm. CLXXVI.

Εὖτέ μοι λευκαὶ μελαίναις
Αναμεμίξονται τρίχες.
Quando mihi albi nigris
Intermiscebuntur capilli.

Anthol. libr. VII. carm. 94.

Ερρίφθω, πολιὴ γὰρ ἐπείγεται ἀντὶ μελαίνης
Θρὶξ, ἤδη συνετῆς ἄγγελος ἡλικίης.
Abjectus est, canus enim instat pro nigro

gro
Capillus, jam prudentis nuncius aetatis.

Tibull. libr. III. El. V. ✠. 15.

Et nondum cani nigros laesere capillos.

Et sic quoque Ovid. libr. IV. Trist. Eleg. VIII. ✠. 1.

Jam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba senecta comas.

Nec dissimilia sunt illa Propertii libr. III. El. III. ✠. 45.

Atque ubi jam Venerem gravis interceperit annus,
Sparserit & nigras alba senecta comas.

Haec enim res indicio erat juveniles jam praeteriisse annos, & senectutem instare. Juvenum namque proprius est *niger capillus*, unde שחרות Hebraeis *juventa* est, a Rad. שחר; *niger est, denigratus est*. Eccl. cap. XI. comm. 10. Vide Mercerum ad Cantic. cap. V. p. 159. & שחר de *nigris crinibus* adhibetur Levit. cap. XIII. comm. 31. & 37. Unde Zachar. cap. VI. comm. 2. & 6. de nigris Equorum capillis intelligendus est.

IV.

IV. Eodem modo supercilia nigra probata fuisse multis testimoniis confirmari potest; pauca videamus. Inter ceteras enim formae elegantias laudantur ὀφρύες ὑπὸ λευκῷ τῷ μετώπῳ μέλαιναι, *supercilia sub candida fronte nigricantia*, apud Philostr. libr. II. Icon. IX. Anacreon in ornatissima illa Amicae suae Pictura carm. XXVIII. memorat:

βλεφάρων ἴτυν κελαινήν.
Palpebrarum ordinem nigrum.

Hesiodus in scuto Herc. ỹ. 7. Gallus in Lyrico:

Pande Puella stellatos oculos,
Flexaque super nigra cilia,
Pande Puella genas roseas
Perfusa rubro purpurae Tyriae.

Et praesertim commendabantur Virgines, si earum comae essent flavae & supercilia nigra, ut apud Achill. Tatium. libr. I. Erot. p. 17. Κόμη ξανθή, τὸ ξανθὸν οὖλον. ὀφρὺς μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον. *Coma flava & crispa; supercilia absque tinctura nigricantia.* Cornel. Gallus, seu, quod alii malint, Maximianus Eleg. I. ỹ. 93.

Aurea caesaries, demissaque, lactea cervix,

Vul-

Vultibus ingenuis visa sedere magis.
Nigra supercilia, & frons libera, lumina nigra,
Urebant animum saepe notata meum.

Hinc quidam Venerem solenni epitheto Graecis dici volunt ἑλικοβλέφαρον, *cui nigrae sunt palpebrae.* Homer. Hymn. II. in Vener. ℣. 19. Hesiod. Theog. ℣. 16. Eodem epitheto insignitur Alcmene apud Pind. Pyth. Od. IV. ℣. 305. ubi vertitur: *rotunda habens supercilia.* Sed verior est Celeb. Graevii sententia in Lect. Hesiod. cap. XX. qui de *mobili oculorum petulantia* ex Petron. cap. CXXVI. exponit, cui addi meretur Eustat. ad Hom. Il. Α. p. 42. quamvis Venerem ἰοβλέφαρον, *palpebras violaceas*, id est nigras, *habentem* describat Lucian. pro Imag. p. 30.

V. Haec coma saepe dabatur Matronis & castis Virginibus, ut testatur Serv. & Vet. Schol. Juven. locis laud. Veruntamen non videtur his solis propria fuisse. Certe Amicae suae capillos nigros adpingi jubet Anacr. carm. XXVIII.

Γράφε μοι τρίχας τοπρῶτον
Ἀπαλάς τε καὶ μελαίνας.
Pinge mihi comas in primis
Mollesque & nigras.

E Hanc

Hanc autem Amicam per totum fere carmen meretricio habitu describit, ut facile colligas castam virginem non fuisse, praecipue ex ℣. 31. hujus Odae, ubi ita:

Διαφαινέτω δὲ σαρκῶν
Ὀλίγον, τὸ σῶμ' ἐλέγχον.
Perluceat vero carnium
Aliquota pars, corpus ostendens.

Mulieres enim meretrices, & quaecunque famam non curarent, vestes pellucidas gerebant, ita ut omnia corporis membra inspici possent. De quo vestium genere consule Brouckh. ad Prop. libr. II. El. I. ℣. 5. Baysium de Re Vest. cap. VI. & Cl. Bos in Animad. cap. XIX. Eo modo *nudas meretrices* intelligendas esse apud Petron. cap. VII. censet Salas. Vid. Ampliss. Cuperum libr. I. Obs. cap. VII. Graev. Lect. Hesiod. cap. IX. Cl. Burmann. ad Petron. cap. XCII. & Festum in *crepus.* Nigros quoque capillos puero amato tribuit Horat. libr. I. Od. XXXII. ℣. 11.

Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.

Conferatur de hoc colore Ciofan. ad Ovid. libr. II. Am. El. IV. ℣. 41. Faber & Barnes. ad Anacr. l. l. Junius de Pict. Almelovenius Epist. ad Virum Rev. Doutr. In Biblioth. Brem.

Brem. Part. II. Fasc. II. p. 244. &, si tanti sit, Alardus ad Val. Flacc. libr. VI. ℣. 144.

VI. Universas etiam gentes eo comarum colore fuisse tradunt Veteres. De Mauris Claudian. libr. III. In Laud. Stilic. ℣. 18.

Illinc flavente Sicambri
Caesarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.

Aegyptios, Arabas & Indos μελαίνας τρίχας habere scribit Galen. libr. II. de Temper. cap. V. Confer Spanhem. ad Callim. Hymn. in Cerer. ℣. 11. De Indis Solin. Polyh. cap. LII. *Indis omnibus promissa caesaries non sine fuco caeruli aut crocei coloris.* Salmas. *coerulum* colorem recte per *nigrum* explicat. Per *croceum* autem *flavus* est intelligendus, quam in rem multa adfert Ill. Spanh. ad Callim. in Apoll. ℣. 83. Croco enim tinguere & mutare solebant capillos Indi. Testis Lucan. libr. III. Pharf. ℣. 237.

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,
Et qui tinguentes croceo medicamine crinem,
Fluxa coloratis adstringunt carbasa gemmis.

In Catal. Vet. Poët. Scal. libr. I. p. 190.

Medus pila geret, pharetras Romana juventus,
Fulgebit rutilis India nigra comis.

Ita quidem emendat Nobil. Heins. ad Ovid. libr. V. Met. ỷ. 440. cum vulgo legeretur *nitidis crocis*, vel *nitidis comis*.

VII. Cum nigra autem coma convenire videtur ea, quam Scriptores vulgo *Hyacinthinam* appellare solent, quia hyacinthi colorem prae se ferret. Varii autem coloris fuerunt hyacinthi. *Rubens* vocatur a Virg. Ecl. III. ỷ. 63.

Munera sunt lauri & suave rubens hyacinthus.

Ex quo loco V. D. putarunt, *hyacinthinum colorem* eundem esse ac purpureum, qui rubri coloris esset. Virgilium sequitur Nemesian. Bucol. Ecl. II. ỷ. 44. ubi inter ceteras Amatorum ineptias haec occurrunt:

Mihi lilia nigra videntur
Pallentesque rosae, nec dulce rubens hyacinthus,
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores.

Adjungi poſſet Eleg. locus ex Anthol. libr. VII. carm. 50.

Ινδῴη δ᾽ ὑάκινθος ἔχει χάριν αἴθοπος αἴγλης.
Indica vero Hyacinthus habet gratiam rubentis ſplendoris.

Ubi lapis ejuſdem nominis intelligendus eſt. Talem de hoc colore ſententiam fovet Bynaeus de Calc. Hebr. libr. I. cap. III. Potius tamen illis adſenſum praebeo, qui per *hyacinthinum colorem* intelligunt colorem caeruleum ſeu nigrum. Hoc ut faciam, multa me invitant, & ea non levia veterum Scriptorum teſtimonia. Hyacinthinum per nigrum colorem exponit Philoſtr. Epiſt. LXVII. Εἰ δὲ ὑακίνθινον, τῷ μέλανι λυπεῖς. *Si vero hyacinthinum, atro colore triſtem reddes.* Eadem ratione Narciſſum, qui flaveſcens erat, & hyacinthum idem Auctor inter ſe opponit Epiſt. XXVII. Ὑάκινθος μὲν οὖν λευκῷ μειρακίῳ, πρέπει δὲ Νάρκισσος μέλανι. *Hyacinthus nempe candido adoleſcentulo, convenit vero Narciſſus nigro.* Adde quae ad Philoſt. in vita Apollonii libr. III. cap. V. obſervavit Olearius. Sic & Hyacinthus lapis nigro fuit colore, quod patebit, ſi locus mox laud. ex Anthol. conferatur cum Iſidor. libr. XVI. Orig. cap. IX. *Hyacinthus ex nominis ſui flore vocatur, hic in Aethiopia invenitur, caeruleum co-*

 lorem

lorem habens. Nec putandum Indicam & Aethiopicam Hyacinthum diversas fuisse, cum in duabus regionibus memorentur; Nam observari debet veteres Aethiopiam etiam Indiam appellasse, quod egregie docuit Vir dignitate & recondita Eruditione conspicuus Gisb. Cuperus libr. IV. Obs. cap. VII. & J. Olderman de vestib. Byssinis P. M. §. 14. p. 20. Sic quoque vaccinia (quae eadem hyacinthis esse volunt Gramm. ut Gloss. Vet. *Vaccinium*, *ἄγχουσα*, *ὑάκινθος*. Philarg. ad Virg. libr. IV. Georg. ℣. 183. Unde Salmas. ad Sol. p. 865. & 903. aliisque locis reprehendit Plinium, quod *hyacinthos* & *vaccinia* diversa esse statuerat) a Virgilio *nigra* appellantur *a colore floris ex purpura nigricantis.* Vide Salm. ad Solin. p. 908. & Claudian. libr. II. de Rapt. Prof. ℣. 92.

Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigra
Induit, & dulci violas ferrugine pingit.

Hinc *μέλας ὑάκινθος* apud Graecos, quos laudat Salmas. in Homon. cap. XXII. Sic Isidor. libr. XVII. Orig. cap. XIX. *Hyacinthus est radice & flore violae similis.* Πορφυρέην ὑάκινθον reperies in Anthol. libr. VII. carm. 6.

Πλέξω καὶ κρόκον ἡδὺν, ἐπιπλήξω δ' ὑάκινθον

θον
Πορφυρέην.
Nectam etiam crocum suavem, subnectam vero hyacinthum
Purpuream.

Quamvis aliquando *color hyacinthinus* & *purpura* inter se opponantur, & ita quasi diversi adducantur, ut a Glossatore in Petron. cap. XXX. in fine: *In dibapha enim purpura & coccinis aut hyacinthinis discumbebant.* Velum tabernaculi his coloribus erat distinctum. Exod. cap. XXVI. comm. 31. Eodem modo *caeruleus* & *purpureus* a Servio ad Virg. libr. III. Æn. ℣. 64. *Cato ait, deposita veste purpurea, foeminas usas caerulea, cum lugerent, veteres sane caeruleum nigrum accipiebant.* Cic. libr. IV. Acad. Quaest. cap. LIII. *Sentiet mare illud quidem nunc Favonio nascente purpureum* (Suid in πορφύρεος. Passer. ad Prop. libr. II. El. XXVI. p. 352.) *videtur idem huic nostro videbitur, nec tamen assentietur, quia nobismetipsis modo caeruleum videbatur, modo ravum.* Ita legendum videtur, non *flavum*, cum Nonio Marc. Voce *Ravum*, Bentlejo ad Horat. Epod. XVI: ℣. 33. Et Nobil. Nic. Heins. ad Ovid. libr. I. Am. El. XII. ℣. 20. *Aureum* vocat. Virg. libr. VIII. Aen. ℣. 671. ὑπέρυθρον Achill. Tat. libr. I. Erot. p. 7.

flavum Servius ad Virg. libr. V. Aen. ỳ. 2. Erat namque purpura, quae ad nigrum, erat, quae ad rubrum colorem accederet. De his purpurae generibus est apud Plin.lib.IX. Hist. cap. XXXIX. *Nepos Cornelius, qui Divi Augusti principatu obiit, me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat, nec multo post rubra Tarentina.* Hinc μελαμπόρφυρον ἱμάτιον ap. Poll.libr. IV.cap.XVIII. segm.119.Columnam inspice ad Ennium libr. XIV.Ann. p. 104.Ex his certe locis patere videtur hyacinthinum illum colorem non esse referendum ad purpuram rubram, verum potius ad nigricantem. Rhodiginum consule libr. XXVII. Ant. Lect. cap. XXVI.

VIII. Sed quid externa circumspicere auxilia opus est, cum de ipsis hyacinthinis comis disertum habeamus Luciani testimonium in Amorib. p. 894. Καὶ δαψιλεῖς μὲν ἀπὸ τῶν βοστρύχων τῆς κεφαλῆς ἕλικες, ὑακίνθοις τὸ καλὸν ἀνθοῦσιν ὅμοια πορφύροντες. *Et longi cinnorum capitis annuli, perinde ac hyacinthi pulcre florentes nigricantes.* Et Longi Pastor. libr. IV. p. m. 127. Ορᾷς, ὡς ὑακίντῳ μὲν τὴν κόμην ὁμοίαν ἔχει. *Vides ut hyacintho quidem comam similem habeat.* Hallucinatur hic loci Petrus Moll, cum de Hyacintho Amyclae filio agi existimet, quamvis & ille ὑακινθίνην habuerit κόμην teste

teste Philostr. libr. I. Icon. XXIV. Sed ex hoc etiam Longi loco clarissime patet, de nigris capillis intelligendum esse *colorem hyacinthinum*, cum idem libr. I. p. 19. Daphnidi, de quo loco laudato agitur, τὴν κόμην μέλαινα, *nigram comam*, adscribat. Indorum *capillos hyacinthinos* esse tradit Dionysius in Descr. Orbis ℣. 1112.

Εειδομένας δ' ὑακίνθῳ
Πιοτάτας φορέουσιν ἐπὶ κράτεσφιν ἐθείρας.
Similesque hyacintho
Pinguissimos gerunt in capite capillos.

Aristen. libr. I. Epist. I. Η δὲ κόμη φυσικῶς ἐνουλισμένη ὑακίνθῳ ἄνθει, καθ' Ομηρον, ἐμφερής. *Coma autem natura crispa hyacintho flori, ut ait Homerus, similis.* Ita enim Homer. Od. Z. ℣. 231.

Οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.
Crispas dimisit comas hyacinthino flori similes.

Et Od. Ψ. ℣. 167 Unde apud Aristenaetur pro ὑακίνθῳ legere malim ὑακινθίνῳ: ipsa etenim Homeri verba adfert. Ita Philost. libr. II. Icon. XI. Αἱ δὲ ἀνθοῦσι τὰς χαίτας, ἐκπεφυκόσιν ὑακινθίνοις ὁμοίως ἄνθεσιν. *Illae vero nitent comas, flores hyacinthinos referentes, jam plene florentes.* Lucian in Rhetor.

Praec. p 315. Ὀλίγας μὲν ἔτι, οὔλας δὲ, καὶ ὑακινθίνας τὰς τρίχας εὐθετίζοντα. *Raras quidem adhuc, crispas vero & hyacinthinas comas componentem.* De Stratonice Seleuci uxore, quae, cum calva esset, Poëtis tamen praemium proposuerat, qui optime ejus capillos laudaret, scribit Idem de Imagin. p. 18. Ἤκουε τῶν καταρατῶν Ποιητῶν ὑακινθίνας τὰς τρίχας αὐτῆς λεγόντων, καὶ οὔλους τινὰς πλοκάμους ἀναπλεκόντων. *Audivit execrandos Poëtas dicentes Hyacinthinas ejus comas & crispos quosdam concinnos nectentes.* De his comis, qui plura cognoscere velit, adeat Viros majores, quam ut a Juvene satis pro meritis laudari possint, Hieron. in Ezechiel. cap. XVI. num. 10. Salm. ad Tertull. Pall. p. 214. & in Solin. p. 133. 701. & 860. Casaub. ad Persium. Sat. I. ℣. 31. & Bochart. Hieroz. Part. post. libr. V. cap. V.

IX. Si vero de purpureo colore intelligendi essent capilli hyacinthini, quo referri deberent ingenue ignorare me confiteor, nisi *purpureum* per pulcrum explicare velis, ut passim apud Poëtas. Adeas Sitzmannum ad Boëthium Conf. Phil. libr. I. Metr. VI. & Torrent. ad Horat. libr. IV. Od. I. ℣. 10. Vel etiam ad fabulosam Nisi comam referre, de qua Ovid. libr. I. Art. ℣. 331. & Tibull. libr. I. El. IV. ℣. 57.

quae

quae videtur propius ad flavum colorem, accessisse, cum Auctor Ciris ℣. 121. eam *roseum crinem* appellet. Sed hae fabulae & tamen quod sciam, soli tantum in historia fabulosa Niso adscribuntur. Sed forte quis objicere posset locum Silii VII. ℣. 446.

Ast alius nivea comebat fronte capillos,
Purpureos, alius vestis religabat amictus.

Verum hunc locum mala interpunctione laborare, & *purpureos* non ad *capillos*, sed ad *amictus* referendos esse post Nob. Heinsium ad eum locum ostendit unicus hujus Poëtae Interpres Drakenborchius. Similis est quoque Anacreontis locus carm. XXVIII.

Ὑπὸ πορφυρέαισι χαίταις
Ἐλεφάντινον μέτωπον.
Sub violaceis (seu *nigris* ut Faber) *capillis*
Eburneam frontem.

Ubi non adsentior Erudit. Barnesio, hoc modo explicanti ea verba: *Purpureas comas dixit eadem ratione, qua mox* ℣. 429. τὰ μὲν μελαίνας, τὰ δ' ἡλιώσας. Has ipse ad l. l. per *Myrteas* exponit. Sed omnino *comae*

comae nigrae intelligendae sunt, nam eidem Amicae suae adpingi voluerat κόμας μελαίνας eod. carm. ℣. 7. Quare non ineleganter vertitur *violaceis capillis*, nam sic comae & alibi violis aequantur. Longus in Pastor. libr. III. p. 86. Καὶ τὴν κόμην ἐφίλησεν, ὡς τῶν ἴων κρείττονα. *Et comam osculata est, ut violis pulcriorem.* Et ita Μοῦσαι ἰοπλόκαμοι dicuntur apud Pindarum Pyth. Od. I. ℣. 2. & ἰοβόστρυχοι Isthm. Od. VII. ℣. 33. Claudian. de Nupt. Hon. & Mar. ℣. 265.

Non labra rosae, non colla pruinae
Non crines aequant violae, non lumina flammae.

Et hoc de *nigris capillis* intelligi oportere patet ex eo, quod apud Virg. Ecl. X. ℣. 39. & libr. IV. Georg. ℣. 275. *nigrae violae*, & in Anthol. libr. VII. carm. 126. Κυανανγὲς ἴον *caerulea viola* dicatur. Nemesian. Ecl. II. ℣. 41.

Pallidior buxo, violaeque simillimus atrae.

Ut legit Erud. Vlitius, quamvis rectius vulgatam defendi existimem. Ita ἰοειδὴς per μέλας explicare videtur Eustatius ad Homer. Il. Λ. p. 783.

X. De his πορφυρᾶισι χάιταις, quarum meminit Anacreon, non dubito, quin intelligi

telligi debeat locus in Cant. sect. VII. comm. 5. *Quod in capite tuo impositum est tibi, simile est coccineo, & coma capitis tui similis est purpurae.* Latina versio, Belgae ceterique fere habent *vitta capitis*, melius LXX. πλόκιον κεφαλῆς; *coma capitis.* Aptius certe videtur *coma*, cum in tota hac descriptione non vestes & indumenta, sed ipse corporis habitus & apta membrorum dispositio memorentur. Et satis insolens esset laudandi genus, si quis alicujus virginis vestes celebraret, quae ipsa formae pulcritudine & morum elegantia proprias sibi haberet laudes. Res tamen non caret exemplo. Ita e profanis Scriptoribus Euripides in Hecuba. ℣. 463.

Ἀρτέμιδός τε Θεᾶς
Χρυσέαν ἄμπυκα
Τόζα τ' εὐλογήσω.
Dianaeque Deae
Auream vittam
Arcusque celebrabo.

Propensior tamen sum, ut per *comam* vertatur, praecipue praeeuntibus Viris eruditis, inter quos nomen profitentur cum aliis Lucas Brugensis, Mercerus & Grotius in notis, qui ita scribit: *Coma capitis tui sicut purpura. Sic apud Poëtas purpurea Nisi coma.* Ego, uti ejus versioni accedo, sic

ſic de *coma Niſi purpurea*, quae ad flavum colorem accedebat, adſentiri non poſſum, cum omnino de nigra intelligendum putem, uti jam de purpura nigricante ſuperius vidimus, & ipſa ſe Sponſa *nigram* vocat Cant. cap. I. comm. 3. Ceterum דלה, quae vox in textu Hebraeo invenitur, notat proprie *rarum* ſeu *tenue filum*, & דל, *tenuis*, ut de capillis tenuibus, quos *molles* dicunt Latini, accipienda erit ſententia. Scite igitur per πλόκιον verterunt οἱ LXX. quae vox deducitur a πλέκειν, & notat illud quod facile convolvi poteſt. *Molles* autem *comae* maxime commendari Veteribus ſolebant. Tibull. libr. I. El. IX. ỷ. 9.

Quid tibi nunc molles prodeſt coluiſſe capillos,
Saepeque mutatas diſpoſuiſſe comas.

Horat. Art. Poët. ỷ. 33. Statius IX. Theb. ỷ. 375. Αβροχαίτας κοῦρος *molli caeſarie puer* laudatur apud Anacr. carm. VI. De hac coma poſſet quoque explicari Hom. Od. Ψ. ỷ. 158. ubi οὔλας κόμας memorat, id eſt, *molles*. Suid. in hac voce. Vulgo *criſpas* vertitur. & fortaſſe rectius, certe Schol. Parv. ad Hom. Od. Z. ỷ. 231. & Heſych. οὔλας vertunt συνεστραμένας. Aliter Schol. Call. in Delum ỷ. 302. Οὖλος ἐθει-

ἐθείραις, id eſt, ὁλόκληρ☉ ταῖς θριξὶ, τουτέστι, λαμπρὸς ταῖς ἀκτῖσιν, probante Vulcanio, & Spanh. ad Call. Jovem. ✝. 52. De *flexis* tamen *capillis* exponit Salm. ad Capit. in Pertin. cap. XII. Cui adde Alciph. libr. III. Ep. I. & LV. Polluc. libr. IV. cap. XIX. ſegm. 134.

XI. Antequam vero hunc e Cantico locum miſſum faciam, verba quae in eodem verſu ſequantur, quoniam etiam ad ornatum capillorum pertinere exiſtimem, brevi percurram. Sequitur autem מלך אסור ברהטים, *Rex vinctus eſt in ambulacris.* Ita plerique vertunt, ut indicetur Regem perpetuo morari in ambulacris ante aedes ſuas, ut Sponſam videret. Sed ſi haec interpretatio recipiatur, ſtatui deberet, Sponſam ſe ſemper ante aedes Regis oſtentare, ut videretur, quod an ſatis Virgini conveniens ſit, admodum dubito. רהטים Prima ſignificatione notant *canales*, quam retinet Cl. Michael ad Cant. p. 696. ut *os*, *guſtur*, *labra*, *nares* & *ubera* ſignificentur. Sed ad hae corporis partes eo nomine recte laudentur, quod canales ſint, quodque per eas aqua, ſive quacunque honeſtiori appellatione exprimere mavis, tranſeat, aliis dijudicandum relinquo. Ego quidem pollicem non premo.

mo. Verum refero potius ad *plectas* seu *ordines capillorum*. Olim enim foeminae plectas capillorum inter se convolvere, & ad verticem capitis seu quocunque alio loco colligare solebant, ut certis ordinibus & quasi canalibus distinguerentur. Hic ornandi modus clarius ex nummis percipitur, in quibus expressae sunt hae capillorum distinctiones.





Eo respicit Juvenal. Sat. VI. ℣. 501.

Tanta est quaerendi cura decoris,
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput.

Neque ab hoc ornandi genere alienos exstitisse Judaeos colligo ex Judic. sect. XVI. comm. 13. *si attexueris septem cincinnos* (per

σειρὰς

κειρᾶς multo rectius vertunt οἱ LXX.) *capitis mei ad jugum textoris*. Hebraea vox deducitur a חלף, *transivit*, *permeavit*, unde חלוף, *transitus*, & hinc מחלפות *crinium plectae*, adeoque optime cum voce רהטים convenit; canales enim transitus sunt aquarum. Neque satis commode per *cincinnos* vertitur, qui sunt capilli in ordines flexi, potius dici deberet, *crinium ordines* vel simpliciter *crines*. Quo sensu *senos crines* per senas crinium plectas seu ordines explicamus apud Fest. in *Senis Crinibus*: *Senis crinibus nubentes ornantur, quod hic ornatus vetustissimus fuit*. Cum Dion. Goth. ad eum locum, Lipsio ad Tac. libr. III. Ann. exc. i. Taubm. ad Plaut. Most. Act. I. Sc. III. ℣. 69. & Salmas. ad Solin. p. 339. A quo tamen more suo in diversa abit Is. Vossius ad Melam libr. I. cap. IX. lin 110. Praeterea hanc vocis רהטים explicationem firmari puto e Cant. cap. I. comm. 10. ubi est: *Decorae sunt genae tuae* בטורים, *in ordinibus*: ubi intelligo capillorum spiras in capite dispositas, quam expositionem juvat Syriacus Interpres, uti docet Michael ad Cant. p. 600. Hae etiam crinium plectae per vocem צמה exprimi videntur Cant. cap. IV. comm. 1. & 3. cap. VI. comm. 7 Jesaiae cap. XLVII.

 comm.

comm. 2. per πλέγμασι in Epist. I. ad Timoth. cap. II. comm. 9. & ἐμπλοκὴν τριχῶν. Epist. I. Petr. sect. III. comm. 3. Ea ratione est Jesaiae cap. III. comm. 24. מעשה מקשה, *opus pexum*, quod de hac crinium dispositione intelligo. Hae enim crinium plectae elegantissimi ornatus habebantur, quo tempore laetitiae uterentur, ideoque recte calvitiei opponitur, quoniam in captivitate tonsae essent mulieres. Savaro ad Sidon. Apoll. libr. II. Ep. II. & Brouckh. ad Prop. libr. IV. El. IX. ỳ. 38. Itaque priorem Cantici locum ita explico, Regem amare ordines capillorum & compositos crinium comtus. In eundem fere sensum hunc locum accepisse videtur Theodoretus ad Cant. p. 1078. Edit. Sirmondi, & Pagninus in Thes. Ling. Sanctae scribit in hac voce. *R. Jonah*: *ligatus in fistulis (aut canalibus) id est, in comis capillorum ejus, similibus fistulis.* Varia collegit A Lapide ad Cant. p. 307. אסור autem recte explicari posse de eo, qui alicujus rei desiderio capitur monet Michael ad Cant. p. 696. Ita *vincire* & *vinctus* Latini passim Amori tribuunt. Tibull. libr. I. El. I. ỳ. 55.

Me retinent vinctum formosae vincla Puellae,

Ubi

Ibi alia Brouckh. & Tibull. libr. I. El. V. ℣. 47.

Vidi ego qui juvenem feros spreviſſet amores,
Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenem.

Pierius ad Virg. libr. VIII. Aen. ℣. 394. *Devinctus legitur, quod amoris proprium eſt, & vinculum in Myſticis ſignificationibus amorem denotat.* Atque ita huic explicationi eleganter convenit Epigramma in Anthol. libr. VII. carm. 39.

Χρυσῆς εἰρύσσασα μίαν τρίχα Δωρὶς ἐθείρης,
Οἷα δορυκτήτοις δῆσεν ἐμὰς παλάμας.
Αὐτὰρ ἐγὼ τοπρὶν μὲν ἐκάγχασα, δεσμὰ τινάξαι
Δωρίδος ἱμερτῆς εὔμαρὲς οἰόμενος.
Aureum extrahens unum pilum Doris comae,
Ut bello captas ligavit meas manus.
Sed ego prius quidem riſi, vincula perfringere
Doridis amabilis facile ratus.

Porro de his crinium plectis confer. Caſp. Barthol. de Inaur. Vet. p. 9. Salm. de Coma. p. 570. Et Hennin. ad Juven. Sat. VI. ℣. 502. Quamvis ille plurima ab hac re alie-

na adferat. Sed e diverticulo in viam redeamus.

CAP. V.

ARGUMENTUM.

I. Κυάνεαι κόμαι. Κυάνεος *est niger.* II. *Caeruleae comae cujus sint coloris. Caeruleus pro nigricante, quod sequentibus paragraphis probatur.* III. *Quoniam nocti caeruleae epitheton additur, quae ceteroquin dicitur atra, furva &c.* IV. *Quia Plutonis equi caerulei, omnia enim, quae ad inferos pertinent, nigro colore describuntur: Parcae Deae infernales. Cymba Charontis nigra. Ovid. ill. Seneca Emend.* V. *Eadem ratione Mors caerulea & nigra. Albin Expl. Gorallus notatus.* VI. *Caeruleus idem quod ferrigineus. Ferrugineus pro nigro. Virg. expos. Thylesius refut.* VII. *Neptunus* Κυανοχαίτης *& caeruleus dicitur. Caerulea coma Diis Marinis tribuitur.* VIII. *Caerulea coma de nigro colore accipi debet, quia aqua nigra dicitur.* Πολιὸς *epitheton fluctuum & capillo-*

pillorum. λευκαίνειν *mare dicitur ventus. Heliod. expos.*

§. I. CONveniunt Hyacinthinae comae, de quibus egimus, cum κυανέαις. Sic κυάνεος per μέλας variis locis exponit Erudit. Salm. in Plin. Exerc. quem tamen praecipue consule p. 93. & 133. Magium adde libr. III. Misc. cap. XIV. & Munck. ad Anton. Liber. cap. XX. p. 167. Quod etiam colligas licet e Servio ad Virg. libr. IV. Aen. ẏ. 146.

Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

Picti autem non stigmata habentes, sicut gens in Britannia, sed pulcri, hoc est, cyanea coma placentes. Cum ex Ammiano Marc. ostendat Turneb. libr. XXIV. Adv. cap. XXVI. & Salm. ad Sol. p. 133. Agathyrsos *caeruleos* seu nigros habuisse crines. Hac significatione vox κυάνεος saepissime apud Graecos Scriptores reperitur, qua de re ne quis dubitet, pauca loca apponam. Ita enim κυάνεος νέφος θανάτου, *nigrae nubes mortis* est in Anthol. libr. III. cap. V. carm. 22. Quod per *nigrum* vertendum esse, ex eo colligitur, quoniam cap. XXXII. ejusd. libri carm. 11. μέλας κυάνεος θάνατος conjugatur, & libr. VI. cap. XXVI. carm.

 12.

12. μέλας θάνατος occurrat. De Serpentibus ex auro factis scribit Heliod. libr. III. Aethiop. p. 133. Οἱ δὲ ἦσαν τὴν μὲν ὕλην χρυσοῖ, τὴν δὲ χροίαν κυάνεοι. Ὁ γὰρ χρυσὸς ὑπὸ τῆς τέχνης ἐμελαίνετο. *Erant autem materia aurei, colore vero caerulei. Aurum enim arte denigrabatur.* Vide Eust. ad Homer. Od. Il. p. 272. & Hesychium in hac voce. His comis Ulyssem ornavit Minerva apud Homer. Od. Π. ℣. 176. Et Hectoris capilli eodem modo describuntur apud Eund. Il. x. ℣. 401.

> Ἀμφὶ δὲ χαῖται
> Κυάνεαι πίλναντο.
>
> *Circum autem comae*
> *Cyaneae admovebantur.*

Et Bacchi in Hymn. Bacchi seu Latronum ℣. 4.

> Καλαὶ δὲ περισσείοντο ἔθειραι
> Κυάνεαι.
>
> *Pulcri vero concutiebantur crines*
> *Cyanei.*

Anthol. libr. VII. carm. 93. Ita Κυανόφρυς apud Theocr. Idyll. IV. ℣. 59. & XVII. ℣. 53. est *habens nigra supercilia.* Quod Idyll. XX. ℣. 24.

> Ἐπ᾽ ὀφρύσι λάμπε μελαίναις.
> *Sub superciliis splendebat nigris*

II.

II. Κυανέαις autem eaedem esse videntur *Caeruleae Comae*. *Caeruleus* enim hac in re color nullus alius, nisi valde me fallat ratio, erit, quam niger seu nigricans. Serv. ad Virg. libr. VII. Aen. ỷ. 198. *caerulum est viride cum nigro, ut est mare*. Quo modo Curtius libr. III. cap. III. §. 19. *Hoc caerulea fascia alba distincta circumibat*. de purpura nigricante accipi potest. Consule Doctissimum Virgilii Interpretem La Cerdam ad libr. V. Aen. ỷ. 10. Columnam ad Ennii fragm. p. 284. Edit. Cl. Hesselii, Turn. Adv. libr. XIV. cap. IV. Noris. ad Cenotaph. Pisan. Diss. III. cap. V. p. 391. Cuper. Apoth. Hom. p. 52. Ex quibus aliisque explicari possunt loca, quae attulit Auctor Artis Crit. Part. II. sect. II. cap. I. num. 5 & 6. Nec asymbolus venit Servius ad Virg. libr. V. Aen. ỷ. 122.

Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus
Caerulea.

Aut nigra aut alta carina, omne enim altum nigrum est. Hinc μέλαινος est epitheton navis apud Dionys. Descript. Orb. ỷ. 709. Orpheum. Argon. ỷ. 265. & 480. Pro quo est κυανόπρωρος apud eundem ỷ. 1201. *nigram habens proram*. & sic κυανέμβολοι πρώ-

πρῶραι sunt *prorae nigro colore tinctae* apud Aristoph. in Ranis ỳ. 1353. & Equis ỳ. 551. Nam ita malo, quamvis alii vertant, *Rostra mare secantia.*

III. *Caeruleum* autem hunc colorem saepe pro nigro apud Latinos Scriptores poni aliis etiam exemplis probare non erit perdifficile. Tibullus purissimi oris Poëta nocti *caeruleae* epitheton tribuit libr. III. El. IV. ỳ. 17.

Jam nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum, caeruleas laverat amne rotas.

Jure suo summum Latiae Musae Decus Brouckh. hic loci *caeruleum* per nigrum exponit, & alia hanc in rem adfert Poëtarum loca, cujus explicationem firmat Ovid. libr. XV. Met. ỳ. 187.

Et jubar hoc nitidum nigrae succedere nocti.

Et German. Arat. Phaenom. in Capricorno ỳ. 292.

Et cum terrores auget nox atra marinos.

Sic quoque Ovidius V. Met. ỳ. 72. Sil. Ital.

Ital. libr. V. ỿ. 36. & 127. *Furva nox* apud Martian. Cap. lib. VI. de Nupt. Phil. p. 191. *Fusca* apud Nob. Heinsium ad Claud. in Rufin. libr. II. ỿ. 325.

IV. Haec vocis *caerulei* significatio praeterea firmatur ex Ovid. libr. IV. Fast. ỿ. 446.

Hanc vidit & visam Patruus velociter aufert,
Regnaque caeruleis in sua portat equis.

Agit ibi de Plutone Inferorum Deo, cui *caeruleos* equos adscribit, quos κυανότριχας ἵππους dixerat Orpheus Argon. ỿ. 1192. Cuilibet autem, qui modo in Veterum scriptis non omnino hospes, satis compertum est, omnia, quae ad Inferos pertinent, nigro colore effingi. Sic Plutoni nigrae pecudes sacrificabantur. Tibull. libr. III. El. V. ỿ. 33. Sil. Ital. libr. I. ỿ. 119. Val. Max. libr. II. cap. IV. ex. 5. unde Statius IV. Theb. ỿ. 449. est explicandus, qui de Inferorum sacris agens scribit:

Tum fera caeruleis intexit cornua sertis.

Ipse Pluto *Ater*, apud Virg. libr. VI. Aen. ỿ. 127. *Niger*, apud Ovid. II. Her. ỿ. 72. & Silium VIII. ỿ. 116. Ἀΐδην μέλανα vocat Diog. Laërt. libr. V. segm. 79. & κυά-

ad Petron. C
15. ff. de inj
II. Non fa
saepius attribu
mirum. Nam
mi esset colori
malisque artib
mae hac pub
ob coloris p
gantiam eam
ex eo minime
fuerunt flavis
pillos Matron
disertis Script
tronas & Vir
gestasse, dem
cretiae, quae
plum propo
Ovidius II. I

Forma plac
capi
Quique
decor

Valerius qu
prodit: *M*
cinniorem eff
capillos cine
sentientium
Scriptoris

... apud Hesiod. Scuto
... Anthol. lib. III. cap.
... Inferorum Dea-
... Viri Docti
... & Barthius ad
... In Cha-
... apud Virg,

bi Gorallus haec notat: *Caerulea mors* *citur, ut ab* Horatio pallida, *quod caeru-* *os, hoc est, lividos vultus mortuorum red-* *it.* Idem observavit Erud. Clericus in rte Crit. Part. II. sect. II. cap. I. §. 6. erum liceat mihi aliam ac Vir Doct. sen-ntiam amplecti. Certe eleganter Ho-atius, quem imitatus videtur Seneca Herc. ur. ℣. 554. mortem dixit *pallidam*, quod allentes homines faciat; unde *pallida regna Ditis* apud Lucan. libr. I. ℣. 455. & passim. Non autem eadem mors potest dici homines *caeruleos*, id est, nigros facere. Nam *caeruleus* & *pallidus* opposita mihi videntur. Tutius igitur, mea quidem sententia, hoc epitheton ad ipsam mortem retulisset, praeeunte Horatio libr. I. Od. XXVIII. ℣. 13.

> *Nervos atque cutem morti concesserat*
> *atrae.*

Tibull. libr. I. El. III. ℣. 3.

> *Me tenet ignotis aegrum Phaeacia ter-*
> *ris,*
> *Abstineas avidas Mors, precor, atra ma-*
> *nus.*
> *Abstineas Mors atra, precor.*

Inspice eundem libr. I. El. XI. ℣. 33. & Orph.

Orph. de Lapid. p. 216. Mors enim erat inter Deos infernales, & hinc *atris alis circumvolare* dicitur apud Horat. libr. II. Sat. I. ℣. 58. & *Tenebris adoperta caput* a Tibull. libr. I. El. I. ℣. 84. Postea vidi eo nomine Gorallum jam castigasse] egregium Litterarum Humanarum Vindicem Burmannum ad Val. Flacc. libr. III. Arg. ℣. 400.

VI. De *caeruleo* colore alibi Brouckh. ad Tibull. libr. I. El. IV. ℣. 37. tradit, esse e rubro & nigro mixtum, cum eundem esse ferrugineo ostendat ex Phil. libr. IV. Georg. ℣. 183. & Nonio. *Ferrugineum* autem idem esse ac marinum seu nigricantem docet Plaut. Mil. Glor. Act. IV. sc. IV. ℣. 43.

Palliolum habeas ferrugineum, nam is color thalassicu' 'st.

Non satis accurate Baysius de Re Vest. cap. II. *Ferrugineus est color ferro ardenti haud absimilis.* Nam potius nigrum fuisse vel ad nigrum proxime accessisse docet ad eundem Virg. locum Servius: *ferruginei, id est, nigri coloris.* Vide ibidem alios Interpretes. Hinc in Eclipsi Solem *obscura ferrugine* caput texisse scribit Virg. libr. I. Georg. ℣. 467.

Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.

Ubi Serv. *Ferrugo est purpura nigrior.* Ut in Gloss. *Ferrugo*, πορφύρα μέλαινα. Virgilium verò de colore nigro accipi debere ex eo constat, quod Prop. libr. III. El. III. ℣. 56. Soli deficienti *atratos* adscribat *equos* Hinc Apocal. cap. VI. comm. 12. dicitur ὁ ἥλιος ἐγένετο μέλας. Et ita Equis Plutonis aurigantis addit habenas *obscura ferrugine tinctas* Ovid. libr. V. Met. ℣. 404. Eodem modo *atra ferrugo* est apud Ovid. libr. XV. Met. 789.

Caerulus & vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat.

Hoc quoque in uno e suis MSS. reperisse se testatur Brouckh. apud Tibull. libr. I. El. IV. ℣. 37.

Quamvis praetexens nigra ferrugine Coelum.

Cum vulgo *picta* legeretur. Plura de hoc colore disputat J. G. Vossius in Etym. Voce *Ferrum*. Is. Vossius ad Catull. p. 217. Passer. Prael. ad Cat. p. 55. Quare non adsentior Thylesio, qui satis erudite de coloribus scripsit, cap. VI. existimanti, *ferru-*

rugineum, si ita adhibeatur, pro funesto, tristi poni. Sic a Virg. libr. IV. Georg. ỷ. 183. *Hyacinthos dici ferrugineos, quia puerum casu interfectum Apollo diu luxit.* Sed saniora ad Virgilium proferunt La Cerdam secuti Taubm. & Emmen. *Cymbam* Charontis *ferrugineam* apud Virg. libr. VI. Aen. ỷ. 303. eodem modo explicat: *Quoniam ea una loco sandapilae mortuos omnes vespillo indefessus transvectat.* Verum non litat, neque enim cogitabat omnia Inferorum nigra describi. Haud rectius Virgilii locum, libr. VI. ỷ. 410. explicat Cerda, qui ideo cymbam Charontis *caeruleam* dici existimat, quod *caeruleus color detur undis & mari.*

VII. Sic satis probavimus colorem *κυάνεον* & *caeruleum*, si non omnino nigrum, saltem non multum a nigro diversum fuisse. Hujus coloris comae adscribi solent Diis Marinis, unde Neptunus apud Graecos Poëtas *κυανοχαίτης*, id est, *caerulea caesarie ornatus* audit. Agathias in Anthol. libr. IV. cap. XV. carm. 3. Orpheus Argon. vs. 343. Eustat. ad Hom. Il. A. p. 109. & Il. B. p. 268. ubi addit hanc ob caussam Neptuno etiam *θαύρους μέλανας θύεσθαι*, *nigros immolari tauros.* Suid. *Κυανοχαίτης*, *μελανόθριξ*, *πορφυρόθριξ*, *ὁ Ποσειδῶν.* *Nigram, seu purpuream comam habens, Neptunus.* Homer.

Homer. Il. N. v. 563. & O. vſ. 174. Hymn. in Nept. vſ. 8. Heſiod. Theog. vſ. 278. & ita *Caeruleus* dicitur ab Ovidio libr. I. Met. vſ. 272.

Sed illum
Caeruleus frater juvit auxiliaribus undis.

Prop. libr. III. Eleg. V. vſ. 15.

Ah miſer, Alcyonum ſcopulis adfigar acutis.
In me caeruleo fuſcina ſumta Deo eſt.

Neque ſolum haec coma datur Neptuno, ſed & aliis quibuſcunque Maris Fluviorumque Diis. Sic Nerei Filiam Panopen, mortuo Achille, crines ſolviſſe ſcribit Auctor de Morte Druſi. vſ. 435.

Illi caeruleum Panope Matertera crinem
Solvit, & indignas fletibus auxit aquas.

De Tigride Ovid. libr. I. Art. vſ. 223. Ubi Amatoribus conſilia dat Virginibus ſuis explicandi depictas tabulas, quae in triumpho traducerentur:

Hic eſt Euphrates, praecinctus arundine frontem:

Cui

Cui coma dependet caerula, Tigris
erit.

De Cyane in ſtagnum nominis ſui mutata Ovid. libr. V. Met. vſ. 432.

Primaque de tota tenuiſſima quaeque liqueſcunt,
Caerulei crines digitique.

Huc referendus etiam eſt Pindarus Olymp. Od. VI.. vſ. 50. ubi Pitana Nympha dicitur Neptuno peperiſſe

Παῖδ' ἰοβόστρυχον Εὐάδναν.
Filiam violaceis comis Euadnen.

Quod de nigris capillis intelligendum eſſe docuimus ſupra. p. 76. Alectus crines *caeruleos* facit Virgil. libr. VII. Aen. vſ. 346.

Huic Dea caeruleis unum de crinibus anguem
Conjicit.

Ejus enim crines anguibus intermixti erant, qui apud Poëtas *caerulei* & *atri* dicuntur. Claud. libr. I. in Ruf. vſ. 119. Ovid. libr. X. Met. vſ. 349. Hinc Horat. libr. IV. Od. ult. vſ. ult. emendat ingenioſiſſimus Bentlejus, improbante tamen Erud. Cuningamio Anim. in Bentl. cap. XI. p. 159. Omnia de-

denique, quae ad mare pertinent *caerulea* descripsere Veteres. E multis vide Stat. ad Tibull. libr. I. El. VII. & Schegk ad Vell. Paterc. libr. II. cap. LXXXIII.

VIII. Hoc modo potissimum vertendum esse *caeruleum maris colorem* per colorem nigricantem colligi etiam potest ex Festo in *Aquilus color*: *Aquilus color est fuscus & subniger. . . . Aquilus autem color ab aqua est nominatus, nam cum Antiqui duos omnino naturales nossent album & nigrum, intervenerit autem is quoque, qui ita neutri similis est, ut tamen ab utroque proprietatem trahat, potissimum ab aqua eum denominarunt, cujus incertus est color.* Adeas ibi moneo Litteratorum Principem Jos. Scaligerum, Casaub. & Torrent. ad Suet. Aug. cap. LXXIX. Munck. ad Anton. Liber. cap. XX. Salm. ad Trebell. Poll. Trig. Tyr. cap. XXX. Inde μέλαν ὕδωρ est apud Theocrit. Id. XIII. ℣. 49.

Κατήριπε δ' ἐς μέλαν ὕδωρ.
Cecidit vero in nigram aquam.

Et *mare nigrum* apud Caton. in Diris ℣. 55.

Nigro multa mari dicunt portenta natare.

Similia Orpheus de Lapid. in Galact. ℣. 21.

na adferat. Sed e diverticulo in viam redeamus.

CAP. V.

ARGUMENTUM.

I. Κυάνεαι κόμαι. Κυάνεος *est niger.* II. *Caeruleae comae cujus sint coloris. Caeruleus pro nigricante, quod sequentibus paragraphis probatur.* III. *Quoniam nocti caeruleae epitheton additur, quae ceteroquin dicitur atra, furva &c.* IV. *Quia Plutonis equi caerulei, omnia enim, quae ad inferos pertinent, nigro colore describuntur: Parcae Deae infernales. Cymba Charontis nigra. Ovid. ill. Seneca Emend.* V. *Eadem ratione Mors caerulea & nigra. Albin Expl. Gorallus notatus.* VI. *Caeruleus idem quod ferrigineus. Ferrugineus pro nigro. Virg. expos. Thylesius refut.* VII. *Neptunus* Κυανοχαίτης *& caeruleus dicitur. Caerulea coma Diis Marinis tribuitur.* VIII. *Caerulea coma de nigro colore accipi debet, quia aqua nigra dicitur,* Πολιὸς *epitheton fluctuum & capillo-*

pillorum. Λευκαίνειν *mare dicitur ventus. Heliod. expos.*

§. I. CONveniunt Hyacinthinae comae, de quibus egimus, cum κυανέαις. Sic κυάνεος per μέλας variis locis exponit Erudit. Salm. in Plin. Exerc. quem tamen praecipue consule p. 93. & 133. Magium adde libr. III. Misc. cap. XIV. & Munck. ad Anton. Liber. cap. XX. p. 167. Quod etiam colligas licet e Servio ad Virg. libr. IV. Aen. ℣. 146.

Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

Picti autem non stigmata habentes, sicut gens in Britannia, sed pulcri, hoc est, cyanea coma placentes. Cum ex Ammiano Marc. ostendat Turneb. libr. XXIV. Adv. cap. XXVI. & Salm. ad Sol. p. 133. Agathyrsos *caeruleos* seu nigros habuisse crines. Hac significatione vox κυάνεος saepissime apud Graecos Scriptores reperitur, qua de re ne quis dubitet, pauca loca apponam. Ita enim κυάνεος νέφος θανάτου, *nigrae nubes mortis* est in Anthol. libr. III. cap. V. carm. 22. Quod per *nigrum* vertendum esse, ex eo colligitur, quoniam cap. XXXII. ejusd. libri carm. 11. μέλας κυάνεος θάνατος conjugatur, & libr. VI. cap. XXVI. carm.

 12.

12. μέλας θάνατος occurrat. De Serpentibus ex auro factis scribit Heliod. libr. III. Aethiop. p. 133. Οἱ δὲ ἦσαν τὴν μὲν ὕλην χρυσοῖ, τὴν δὲ χροίαν κυάνεοι. Ὁ γὰρ χρυσὸς ὑπὸ τῆς τέχνης ἐμελαίνετο, *Erant autem materia aurei, colore vero caerulei. Aurum enim arte denigrabatur.* Vide Eust. ad Homer. Od. II. p. 272. & Hesychium in hac voce. His comis Ulyssem ornavit Minerva apud Homer. Od. Π. ℣. 176. Et Hectoris capilli eodem modo describuntur apud Eund. Il. x. ℣. 401.

ἀμφὶ δὲ χαῖται
Κυάνεαι πίλναντο.

Circum autem comae
Cyaneae admovebantur.

Et Bacchi in Hymn. Bacchi seu Latronum ℣. 4.

Καλαὶ δὲ περισσείοντο ἔθειραι
Κυάνεαι.

Pulcri vero concutiebantur crines
Cyanei.

Anthol. libr. VII. carm. 93. Ita Κυανόφρυς apud Theocr. Idyll. IV. ℣. 59. & XVII. ℣. 53. est *habens nigra supercilia.* Quod Idyll. XX. ℣. 24.

Επ' ὀφρύσι λάμπε μελαίναις.
Sub superciliis splendebat nigris

II.

II. Κυανέαις autem eaedem esse videntur *Caeruleae Comae*. *Caeruleus* enim hac in re color nullus alius, nisi valde me fallat ratio, erit, quam niger seu nigricans. Serv. ad Virg. libr. VII. Aen. ỷ. 198. *caerulum est viride cum nigro, ut est mare*. Quo modo Curtius libr. III. cap. III. §. 19. *Hoc caerulea fascia albo distincta circumibat*. de purpura nigricante accipi potest. Consule Doctissimum Virgilii Interpretem La Cerdam ad libr. V. Aen. ỷ. 10. Columnam ad Ennii fragm. p. 284. Edit. Cl. Hesselii, Turn. Adv. libr. XIV. cap. IV. Noris. ad Cenotaph. Pisan. Diss. III. cap. V. p. 391. Cuper. Apoth. Hom. p. 52. Ex quibus aliisque explicari possunt loca, quae attulit Auctor Artis Crit. Part. II. sect. II. cap. I. num. 5. & 6. Nec asymbolus venit Servius ad Virg. libr. V. Aen. ỷ. 122.

Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus
Caerulea.

Aut nigra aut alta carina, omne enim altum nigrum est. Hinc μέλαινος est epitheton navis apud Dionys. Descript. Orb. ỷ. 709. Orpheum. Argon. ỷ. 265. & 480. Pro quo est κυανόπρωρος apud eundem ỷ. 1201. *nigram habens proram*. & sic κυανέμβολοι

πρῷραι sunt *prorae nigro colore tinctae* apud Aristoph. in Ranis ℣. 1353. & Equis ℣. 551. Nam ita malo, quamvis alii vertant, *Rostra mare secantia*.

III. *Caeruleum* autem hunc colorem saepe pro nigro apud Latinos Scriptores poni aliis etiam exemplis probare non erit perdifficile. Tibullus purissimi oris Poëta nocti *caeruleae* epitheton tribuit libr. III. El. IV. ℣. 17.

Jam nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum, caeruleas laverat amne rotas.

Jure suo summum Latiae Musae Decus Brouckh. hic loci *caeruleum* per nigrum exponit, & alia hanc in rem adfert Poëtarum loca, cujus explicationem firmat Ovid. libr. XV. Met. ℣. 187.

Et jubar hoc nitidum nigrae succedere nocti.

Et German. Arat. Phaenom. in Capricorno ℣. 292.

Et cum terrores auget nox atra marinos.

Sic quoque Ovidius V. Met. ℣. 72. Sil. Ital.

Ital. libr. V. ℣. 36. & 127. *Furva nox* apud Martian. Cap. lib. VI. de Nupt. Phil. p. 191. *Fusca* apud Nob. Heinsium ad Claud. in Rufin. libr. II. ℣. 325.

IV. Haec vocis *caerulei* significatio praeterea firmatur ex Ovid. libr. IV. Fast. ℣. 446.

Hanc vidit & visam Patruus velociter aufert,
Regnaque caeruleis in sua portat equis.

Agit ibi de Plutone Inferorum Deo, cui *caeruleos* equos adscribit, quos κυανότριχας ἵππους dixerat Orpheus Argon. ℣. 1192. Cuilibet autem, qui modo in Veterum scriptis non omnino hospes, satis compertum est, omnia, quae ad Inferos pertinent, nigro colore effingi. Sic Plutoni nigrae pecudes sacrificabantur. Tibull. libr. III. El. V. ℣. 33. Sil. Ital. libr. I. ℣. 119. Val. Max. libr. II. cap. IV. ex. 5. unde Statius IV. Theb. ℣. 449. est explicandus, qui de Inferorum sacris agens scribit:

Tum fera caeruleis intexit cornua sertis,

Ipse Pluto *Ater*, apud Virg. libr. VI. Aen. ℣. 127. *Niger*, apud Ovid. II. Her. ℣. 72. & Silium VIII. ℣. 116. Αἴδην μέλανα vocat Diog. Laërt. libr. V. segm. 79. & κυά-

vocari dicuntur Parcae apud Hesiod. Scuto Herc. ℣. 249. & in Anthol. libr. III. cap. V. carm. 25. Parcas autem Inferorum Deabus annumeratas esse monuerunt Viri Docti ad Lycoph. Cass. ℣. 1137. & Brouckh. ad Tibull. libr. III. El. III. ℣. 35. Ita Charontis cymba *caerulea* dicitur apud Virg. libr. VI. Aen. ℣. 410.

Caeruleam advertit puppim, ripaeque propinquat.

Ubi conferri potest La Cerda, & Seneca in Herc. Oetaeo ℣. 1963.

Non me gementis stagna Cocyti tenent,
Non puppis umbras furva transvexit meas.

Ita lege cum Nobil. Heinsio ad Ovid. libr. III. Met. ℣. 273. cum vulgo *curva* vel *fulva*, quod etiam in duobus MSS. inveni, legatur. Atque ita hanc puppim *κυανέην* vocat Antipater in Anthol. libr. III. cap. XXXIII. carm. 16. Alia mittimus, ne in re notiori longiores simus.

V. Auctor de morte Drusi, qui falso Albinovanus dicitur, ℣. 93.

Lumina caerulea jam jam natantia morte,
Lumina fraternas jam subitura manus.

Ubi

Ubi Gorallus haec notat: *Caerulea mors dicitur, ut ab* Horatio pallida, *quod caeruleos, hoc est, lividos vultus mortuorum reddat.* Idem observavit Erud. Clericus in Arte Crit. Part. II. sect. II. cap. I. §. 6. Verum liceat mihi aliam ac Vir Doct. sententiam amplecti. Certe eleganter Horatius, quem imitatus videtur Seneca Herc. Fur. ℣. 554. mortem dixit *pallidam*, quod pallentes homines faciat; unde *pallida regna Ditis* apud Lucan. libr. I. ℣. 455. & passim. Non autem eadem mors potest dici homines *caeruleos*, id est, nigros facere. Nam *caeruleus* & *pallidus* opposita mihi videntur. Tutius igitur, mea quidem sententia, hoc epitheton ad ipsam mortem retulisset, praeeunte Horatio libr. I. Od. XXVIII. ℣. 13.

Nervos atque cutem morti concesserat atrae.

Tibull. libr. I. El. III. ℣. 3.

Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris,
Abstineas avidas Mors, precor, atra manus.
Abstineas Mors atra, precor.

Inspice eundem libr. I. El. XI. ℣. 33. & Orph.

Orph. de Lapid. p. 216. Mors enim erat inter Deos infernales, & hinc *atris alis circumvolare* dicitur apud Horat. libr. II. Sat. I. ℣. 58. & *Tenebris adoperta caput* a Tibull. libr. I. El. I. ℣. 84. Postea vidi eo nomine Gorallum jam castigasse egregium Litterarum Humanarum Vindicem Burmannum ad Val. Flacc. libr. III. Arg. ℣. 400.

VI. De *caeruleo* colore alibi Brouckh. ad Tibull. libr. I. El. IV. ℣. 37. tradit, esse e rubro & nigro mixtum, cum eundem esse ferrugineo ostendat ex Phil. libr. IV. Georg. ℣. 183. & Nonio. *Ferrugineum* autem idem esse ac marinum seu nigricantem docet Plaut. Mil. Glor. Act. IV. sc. IV. ℣. 43.

Palliolum habeas ferrugineum, nam is colos thalassicu' 'st.

Non satis accurate Bayfius de Re Vest. cap. II. *Ferrugineus est color ferro ardenti haud absimilis.* Nam potius nigrum fuisse vel ad nigrum proxime accessisse docet ad eundem Virg. locum Servius: *ferruginei, id est, nigri coloris.* Vide ibidem alios Interpretes. Hinc in Eclipsi Solem *obscura ferrugine* caput texisse scribit Virg. libr. I. Georg. ℣. 467.

Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.

Ubi Serv. *Ferrugo est purpura nigrior.* Ut in Gloss. *Ferrugo*, πορφύρα μέλαινα. Virgilium verò de colore nigro accipi debere ex eo constat, quod Prop. libr. III. El. III. ỷ. 56. Soli deficienti *atratos* adscribat *equos* Hinc Apocal. cap. VI. comm. 12. dicitur ὁ ἥλιος ἐγένετο μέλας. Et ita Equis Plutonis aurigantis addit habenas *obscura ferrugine tinctas* Ovid. libr. V. Met. ỷ. 404. Eodem modo *atra ferrugo* est apud Ovid. libr. XV. Met. 789.

Caerulus & vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat.

Hoc quoque in uno e suis MSS. reperisse se testatur Brouckh. apud Tibull. libr. I. El. IV. ỷ. 37.

Quamvis praetexens nigra ferrugine Coelum.

Cum vulgo *picta* legeretur. Plura de hoc colore disputat J. G. Vossius in Etym. Voce *Ferrum*. If. Vossius ad Catull. p. 217. Passer. Prael. ad Cat. p. 55. Quare non adsentior Thylesio, qui satis erudite de coloribus scripsit, cap. VI. existimanti, *ferru-*

rugineum, si ita adhibeatur, pro funesto, tristi poni. Sic a Virg. libr. IV. Georg. ℣. 183. *Hyacinthos dici ferrugineos, quia puerum casu interfectum Apollo diu luxit.* Sed saniora ad Virgilium proferunt La Cerdam secuti Taubm. & Emmen. *Cymbam* Charontis *ferrugineam* apud Virg. libr. VI. Aen. ℣. 303. eodem modo explicat: *Quoniam ea una loco sandapilae mortuos omnes vespillo indefessus transvectat.* Verum non litat, neque enim cogitabat omnia Inferorum nigra describi. Haud rectius Virgilii locum libr. VI. ℣. 410. explicat Cerda, qui ideo cymbam Charontis *caeruleam* dici existimat, quod *caeruleus color detur undis & mari.*

VII. Sic satis probavimus colorem κυάνεον & *caeruleum*, si non omnino nigrum, saltem non multum a nigro diversum fuisse. Hujus coloris comae adscribi solent Diis Marinis, unde Neptunus apud Graecos Poëtas κυανοχαίτης, id est, *caerulea caesarie ornatus* audit. Agathias in Anthol. libr. IV. cap. XV. carm. 3. Orpheus Argon. vs. 343. Eustat. ad Hom. Il. A. p. 109. & Il. B. p. 268. ubi addit hanc ob caussam Neptuno etiam θαύρους μέλανας θύεσθαι, *nigros immolari tauros.* Suid. Κυανοχαίτης, μελανόθριξ, πορφυρόθριξ, ὁ Ποσειδῶν. *Nigram, seu purpuream comam habens, Neptunus.*

Homer.

Homer. Il. N. v. 563. & O. vs. 174. Hymn. in Nept. vs. 8. Hesiod. Theog. vs. 278. & ita *Caeruleus* dicitur ab Ovidio libr. I. Met. vs. 272.

> *Sed illum*
> *Caeruleus frater juvit auxiliaribus undis.*

Prop. libr. III. Eleg. V. vs. 15.

> *Ah miser, Alcyonum scopulis adfigar acutis.*
> *In me caeruleo fuscina sumta Deo est.*

Neque solum haec coma datur Neptuno, sed & aliis quibuscunque Maris Fluviorumque Diis. Sic Nerei Filiam Panopen, mortuo Achille, crines solvisse scribit Auctor de Morte Drusi. vs. 435.

> *Illi caeruleum Panope Matertera crinem*
> *Solvit, & indignas fletibus auxit aquas.*

De Tigride Ovid. libr. I. Art. vs. 223. Ubi Amatoribus consilia dat Virginibus suis explicandi depictas tabulas, quae in triumpho traducerentur:

> *Hic est Euphrates, praecinctus arundine frontem:*

Cui

Cui coma dependet caerula, Tigris
erit.

De Cyane in stagnum nominis sui mutata Ovid. libr. V. Met. vs. 432.

Primaque de tota tenuissima quaeque liquescunt,
Caerulei crines digitique.

Huc referendus etiam est Pindarus Olymp. Od. VI. vs. 50. ubi Pitana Nympha dicitur Neptuno peperisse

Παῖδ' ἰοβόστρυχον Εὐάδναν.
Filiam violaceis comis Euadnen.

Quod de nigris capillis intelligendum esse docuimus supra. p. 76. Alectus crines *caeruleos* facit Virgil. libr. VII. Aen. vs. 346.

Huic Dea caeruleis unum de crinibus anguem
Conjicit.

Ejus enim crines anguibus intermixti erant, qui apud Poëtas *caerulei* & *atri* dicuntur. Claud. libr. I. in Ruf. vs. 119. Ovid. libr. X. Met. vs. 349. Hinc Horat. libr. IV. Od. ult. vs. ult. emendat ingeniosissimus Bentlejus, improbante tamen Erud. Cuningamio Anim. in Bentl. cap. XI. p. 159. Omnia de-

denique, quae ad mare pertinent *caerulea* descripsere Veteres. E multis vide Stat. ad Tibull. libr. I. El. VII. & Schegk ad Vell. Paterc. libr. II. cap. LXXXIII.

VIII. Hoc modo potissimum vertendum esse *caeruleum maris colorem* per colorem nigricantem colligi etiam potest ex Festo in *Aquilus color*: *Aquilus color est fuscus & subniger. . . . Aquilus autem color ab aqua est nominatus, nam cum Antiqui duos omnino naturales nossent album & nigrum, intervenerit autem is quoque, qui ita neutri similis est, ut tamen ab utroque proprietatem trahat, potissimum ab aqua eum denominarunt, cujus incertus est color.* Adeas ibi moneo Litteratorum Principem Jos. Scaligerum, Casaub. & Torrent. ad Suet. Aug. cap. LXXIX. Munck. ad Anton. Liber. cap. XX. Salm. ad Trebell. Poll. Trig. Tyr. cap. XXX. Inde μέλαν ὕδωρ est apud Theocrit. Id. XIII. ỽ. 49.

Κατήριπε δ' ἐς μέλαν ὕδωρ.
Cecidit vero in nigram aquam.

Et *mare nigrum* apud Caton. in Diris ỽ. 55.

Nigro multa mari dicunt portenta natare.

Similia Orpheus de Lapid. in Galact. ỽ. 21.

 Horat.

Horat. libr. III. Od. XXVII. ℣. 23. Eustat. ad Il. Λ. p. 783. & Passer. ad Prop. lib. III. El. VI. p. 446. *Caeruleus Pontus* a *cana nive* hanc ob causam distinguitur in Cat. Pith. libr. II. p. 50.

Sub tanto subitae sonuerunt pondere classes,
Caeruleus cana sub nive Pontus erat.

Non nego tamen πολιὸν, *album*, *canum*, etiam de fluctibus maris adhiberi, ut in Pindaro Olymp. I. ℣. 115. Dion. Descript. Orb. ℣. 879. & Anthol. libr. I. cap. LVI. carm. 1. & VII. carm. 138. Πολιὸν κῦμα Πόντου, *canus fluctus Ponti*, cum πολιὸς de canis etiam capillis ponatur. Ut apud Aristoph. Equit. ℣. 517. Lucian. Herc. Gall. p. 365. Anthol. libr. VII. carm. 140. & 146. Alia habet Duportus prael. in Theoph. cap. II. p. 211. Sed hoc intelligendum censeo, non de toto mari, sed de summitate fluctuum, quod discrimen inter colorem maris & fluctuum agnoscit Alciphron libr. I. Ep. I. Atque ita κύματα vel θάλασσαν λευκαίνειν dicitur ventus in Anthol. libr. I. cap. LVI. carm. 11. & apud Orph. ℣. 457. Eo sensu *canum mare* dixerunt Latini. Serv. ad Virg. libr. VIII. Aen. ℣. 672. & Bulaeus ad Val. Flacc. libr. III. ℣. 32. Cani capilli hac significatione spumanti mari comparantur

tur ab Eunapio Vit. Phil. p. 123. Διὰ πλῆθος πολιῶν τριχῶν ἀφριζούσῃ θαλάσσῃ προσεμφερὴς καὶ ὑπαργυρίζουσα. *Ob multitudinem canorum crinium spumanti mari similis, & argenti instar albicans.* Neque me movet, quod Thetis Dea marina dicatur Χρυσοέθειρα, *Auricoma* apud Heliod. libr. III. Aethiop. p. 129.

Τὰν Θέτιν ἀείδω, χρυσοέθειρα Θέτι.
Thetin canto, auricoma Theti.

Nam idem erit ac καλλιέθειρα, *pulcricoma.* Χρύσεος enim Graecis passim pro pulcro ponitur. Orph. de Lapid. Prooem. ℣. 35. Videatur Brunnerus ad Palaeph. Incred. cap. XIX. & Marcilius ad Aur. Carm. Pyth. p. 6.

CAP. VI.

ARGUMENTUM.

I. *Coma Myrtea quae fuerit. Horat. exponitur.* II. *De myrtea coma varians lectio in Tibullo.* III. *Apollo an habuerit myrteam comam. Ovidius expl.* IV. *De myrtea coma alia adferuntur.* Ὑπόξανθος, ὑπό-

ὑπόπυῤῥος, *subflavus.* V. *Euphranor comarum Pictor celeberrimus.*

§. I. HAec sunt, quae de colore nigro potissimum dicenda haberem, paucis nunc inquirendum duxi in eum comarum colorem, quem *myrteum* appellant Veteres. Colorem hunc inter flavum & nigrum medium fuisse indicat Porphyrio ad Horat. libr. III. Od. XIV. vs. 22. *Colorem myrteum* (sic enim legendum, non, ut est in editis, *myrrheum*) *in crinibus hodie quoque dicunt, qui medius est inter flavum & nigrum.* In ipso quoque Horatii loco vulgo aliter legitur, nec de vera lectione convenire potuit inter Doctos:

Dic & argutae properet Neaerae
Myrrheum nodo cohibere crinem.

Sic Torrent. aliique edidere, qui *Myrrheum* exponunt per *myrrha delibutum.* Et ita hunc locum laudat Brouckh. ad Prop. libr. III. El. XII. vs. 28. De re ipsa Ovid. libr. III. Met. vs. 555.

Sed madidus myrrha crinis.

Et Scacchi Myroth. libr. I. cap. LII. *Murreum* edidit Angliae decus Bentlejus, & ita se in pluribus MSS. invenisse testatur, praesertim in integerrimo codice Graeviano, quem

quem optimum etiam cenſet Cl. Burm. ad Petron. cap. XII, & Brouckh. ad Prop. libr. III. El. XII. vſ. 28. Si autem eam lectionem recipiamus, forte de odoramento, quod ex lapide murra fiebat, intelligi debet Horat. Hoc unguentum memorat Pompon. l. 21. §. 1. ff. de aur. arg. leg. *Unguentis legatis non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis cauſa, ſed & valetudinis: qualia ſunt commagena, glaucina, crina, roſa, murra.* Non equidem ignoro pro *murra* Viros Doctos legendum cenſere *e myrrha.* Sed receptam lectionem retinere tutius videtur, cum ea commodiſſimo ſenſu explicari & intelligi poſſit. Vide etiam Brouckh. ad Prop. libr. III. El. VIII. ℣. 22. Tandem nuperrime *myrteum* in contextum Horatii recepit Cuninchamius, qui certe ſibi propitium habet Porphyr. & plures alios Codices. Si quis tamen aliam lectionem praeferre velit, non magnopere pugnamus.

II. Eodem fere modo variant libri in Tibull. libr. III. El. IV. ℣. 27.

Intonſi crines longa cervice fluebant,
Stillabat ſyrio myrrhea rore coma.

Ad hunc enim locum Ill. Scaliger, ut & Statius, *myrtea* in ſuis libris legi teſtantur, & veram hanc eſſe lectionem jam

 vide

viderat ad Horat. l. l. Chabotus, & Cl. Salmasius ad Solin. p. 747. eamque recepere Viri Cel. Graevius & Brouckh. Improbavit tamen Spanhem. ad Callim. Hymn. in Apoll. ℣. 38. At certe Elegantiis Tibullianis magis convenire videtur, si legatur *myrtea*, quam *myrrhea*. Nam in eodem versu dixerat, *Syrio rore stillare comam*. Adeoque supervacaneum videri posset addere myrrha delibutam fuisse.

§. III. Tanto magis sese mihi approbat haec lectio, cum putem ostendi posse, Apollinis, de quo Tibull. agit, comam fuisse inter nigram & flavam, adeo, ut judicari vix posset, utrum potius flava an nigra dicenda foret. Hoc docuit me Athenaeus libr. XIII. Deipn. cap. VIII. ubi scribit, a Pictoribus Apollinis comam pingi nigram, a Poëtis vero ut auream, id est, flavam describi; adeoque non omnino ab re videtur cogitare Apollinis comam myrteam fuisse: praesertim, cum sententiam meam aliquo modo confirmare videatur Ovid. libr. I. Am. El. XIV. ℣. 9.

Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus illis,
Sed quamvis neuter mixtus uterque color.

His versibus Poëta myrteam Amicae suae co-

comam deſcribit, quam deinde cum Apollinis confert ỷ. 31.

Formoſae periere comae; quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.

Si autem putaſſet Apollinis comam eſſe flavam, ridiculum ſe praebuiſſet Ovidius, ſi huic comae praeferri voluiſſet myrteos Amicae ſuae crines, cum jam ỷ. 9. non obſcure indicaſſet flavum capillum myrteo praeferri. Poſſet tamen de longitudine capillorum accipi, qua fuit inſignis Apollo & Bacchus. Quod autem de Pictoribus ſcribit Athenaeus, deficientibus antiquorum tabulis alia auctoritate probare non poſſum. Attamen Ælian. libr. I. V. H. cap. XX. ejus imaginem χρυσοῦς βοστρύχους habuiſſe prodit. Apud Poëtas ejus coma paſſim *aurea* deſcribitur Ovid. libr. XI. Met. ỷ. 165. Hinc χρυσοκόμης dicitur apud Pind. Olymp. Od. VI. ỷ. 71. χρυσοχαίτας apud Eund. Pyth. Od. II. ỷ. 29. quod per *Auricomum* Latini vertunt, docente Ill. Heinſio ad Val. Flacc. libr. IV. ỷ. 94. (*auricomum* autem & *flavum* nihil differre patet ex collatis locis Sil. Ital. libr. III. ỷ. 608. & Lucan. libr. I. ỷ. 402.) Virgil. libr. IX. Aen. ỷ. 651. de Apolline ſcribit:

Et crinis flavos & saeva sonoribus arma.

Ita ibi plerique Codices, & antiquum, quod consului, exemplar membranaceum. *Albos* legunt alii praeëunte Pierio. *Ravos* maluisse videtur Nob. Heinsius, quod colligo ex nota ejus ad Sil. Ital. libr. V. ℣. 220. Non ineleganter igitur observat Torrent. ad Horat. libr. IV. Od. VI. ℣. 25.

Doctor argutae fidicen Thaleiae,
Phoebe, qui Xantho lavas amne crines.

Eo respexisse Poëtam, quod *Xanthum flumen dici voluerint Etymologi* παρὰ τὸ ξανθὰς τρίχας ποιεῖν τοῖς λουομένοις ἐκεῖσι, *quod in eo loti flavi fiant capilli.* De qua Etym. vide & Doct. La Cerdam ad Virg. libr. III. Aen. ℣. 350.

IV. Sed ne vagemur extra oleas, Bathyllo amasio suo, interius nigras, exterius flavas comas adpingi jubet Anacr. carm. XXIX.

Λιπαρὰς κόμας ποίησον,
Τὰ μὲν ἔνδοθεν μελαίνας,
Τὰ δ' ἐς ἄκρον ἡλιώσας.
Nitidas comas facito,
Interius quidem nigricantes,
Exterius autem rutilantes.

Quales, quaeso, hae aliae sunt, quam myr-

teae

teae comae? Et ita recte hunc locum explicat Barnesius. Huc refero Eunapium in Vit. Phil. p. 27. ubi nescio quae divina de Jamblicho referens, inter alia narrat, in balneo imagunculam ex aqua extraxisse, cujus Αἱ κόμαι μελάντεραί τε καὶ ἡλιῶσαι κατεκέχυντο. *Comae magis nigricantes & aurei confundebantur.* Hic autem color a Graecis ὑπόξανθος dici videtur. Sic Isaacius Porphyrogenitus in Charact. Graec. & Troj. apud Rutgers. in Var. Lect. libr. V. cap. XX. Patroclum describit ὑπόξανθον, & ibid. Nestorem ὑπόπυῤῥον vocat: Confer Pollucem Onom. libr. IV. cap. XIX. segm. 137. Quod Latini *subflavum* verterent. Suet. Aug. cap. LXXIX. *Capillum leniter inflexum & subflavum, supercilia conjuncta.* De Christo scribit Nicephorus libr. I. Hist. Eccl. cap. XL. *Caesariem habuit subflavam, ac non admodum, leniter quodammodo ad crispos declinantem, supercilia nigra.* Adeas Brouckh. ad Tibull. libr. I. El. VI. ℣. 8. Porro de *colore myrteo* ejusque pulcritudine evolve Turneb. Adv. libr. XIX. cap. VII. Salm. ad Tertull. Pall. p. 180. Salas & Erhard. ad Petr. cap. XXI. Addi merentur Viri Docti ad Anacr. Tibull. & Horatium locis laudatis, ibique praecipue, qui ea, qua est liberalitate, plurima collegit, Dacerius.

V. Antequam autem ad alia transeam, in transcursu notandum, olim Euphranorem peritissimum habitum fuisse in depingendis comarum coloribus. Hinc est, quod apud Lucian. legimus in Imagin. p. 6. Ὁ μὲν Εὐφράνωρ χρωσάτω τὴν κόμην, οἵαν τῆς Ἥρας ἔγραψεν. *Euphranor quidem faciat colorem comae, qualem Junonis pinxit.* De eo vide Plin. libr. XXXV. Hist. Nat. cap. XI.

CAP. VII.

ARGUMENTUM.

I. *Varii tincturae modi. Lavabant crines aqua. Schol. Juv. tent.* II. *Tinctura capillorum antiquis non probata. Statius expl. Ingenuus est naturalis, non arte factus. Siccus pro unguento non delibutus.* III. *Flavo colore tinguebant crines, croco vel cinere.* IV. *Cortice nucis flavos reddebant capillos. Meurs. & Duportus not.* V. *Scobe aurea flavas comas faciebant.* VI. *Quod dicitur rutilare crines. Sen. Emend.* VII. *Cinerarii rutilarunt capillos. An fuerint inter muliebria ministeria.* VIII. *Nigro etiam colore comas tinguebant.* IX. *Ex*

Ex tinctura defluvium capillorum oritur. Canos colorabant. X. *Canities enim erat indecora, quare canos etiam evellere solebant.* XI. *Cani tamen capilli dicuntur venerandi, honorati &c.* XII. *Capilli unguento illiti nitidi dicuntur.*

§. I. ET haec quidem dicenda videbantur de colore comarum, nunc de tinctura earum videamus. Si cui minus placeret nativus capillorum color, eos colore, qui magis in deliciis haberetur, tinguere solebat, ut hisce fucis & lenociniis populo placeret. Varia autem erant tincturae genera. Solebant enim aliquando simpliciter comam aqua vel fluvio lavare, ut puram & a sordibus purgatam redderent, aliquando medicamentis imbuere, nec raro auream Scobem inspergere. Lavare & aqua abluere solitos fuisse veteres capillos clarum fit ex Polyaeno libr. VIII. Strat. cap. XXXVII. Ῥοδογούνη λουομένη τὰς τρίχας ἐῤῥύπτετο. *Rhodogune lavans crines abstergebat*, ex quo capite & alia ad hanc rem spectantia peti possunt. Huc respicit Statius I. Achill. ṽ. 178.

Protinus ille subit, rapido, quae proxima, saltu
Flumina, fumantesque genas, crinemque no-

novavit.

Et de Furiarum crinibus Id. libr. I. Theb. ỷ. 88.

> *Inamoenum forte sedebat*
> *Cocyton juxta, resolutaque vertice crines,*
> *Lambere sulphureas permiserat anguibus undas.*

De Apolline Horat. libr. III. Od. IV. ỷ. 61.

> *Qui rore puro Castaliae lavit*
> *Crines solutos.*

Praecipue id receptum fuit in Nuptiis, unde *adspersae comae* de nupta apud Prop. libr. IV. El. XI. ỷ. 33.

> *Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis,*
> *Vinxit & adspersas altera vitta comas.*

Sic leges rectius cum Lipf. ad Tacit. libr. III. Ann. exc. i. Hoc autem erat Ornatricum munus. Vet. Schol. Juven. ad Sat. VI. ỷ. 491. *Ornatrices igitur componentes rarum ac parvum* (forte *paulum*) *aquae solent mittere, ac veluti* ψεκάζειν. V. Barth. ad Stat. libr. I. Theb. ỷ. 697. Demster. ad Rosin. libr.

V.

V. cap. XXV. p. 412. Voss. ad Catull. p. 267.

II. Et sic quidem apud seculum prius plerumque fieri solebat. Verum invalescente luxu, ut fit, quibusvis lenociniis tinguere & ornare comas coeperunt. Antiquitas talia respuebat & vitio vertebat. Hinc etenim male audit Paris, quod solus inter Heroas unguentis imbuerit capillos, teste Athen. quem ad partes vocat Torrent. cum hanc ob causam Paridem *comtum* dici ostendat ab Horat. libr. IV. Od. IX. ℣. 13.

Non sola comtos arsit adulteri
Crines, & aurum vestibus illitum
Mirata.

Et hinc non ineleganter Iarbas apud Virg. libr. IV. Aen. ℣. 215.

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur.

Recte ibi Serv. per *crinem madentem unguentatum* intelligit. Et unguentatum per mollem exponit Statius ad Catull. in Nupt. Manl. ℣. 139. Sic inter effoeminati animi signa quoque *madentem comam*, & *compositum capillum* enumerat Cicer. Orat. post Redit.

Redit. in Sen. cap. VI. Adde Rigaltium ad Artemid. Oneir. libr. I. cap. LXXVII. Adeo etiam nimius comarum cultus improbatus fuit, & in vituperium versus, ut inhonestum haberetur nitide ornatis capillis saepius in publicum prodire, quo pertinent elegantiores Ovidii versus libr. IV. Fast. ℣. 307. ubi de Claudia, cui dubia fuerat pudicitiae fama, scribit:

Casta quidem, sed non & credita: rumor iniquus
Laeserat, & falsi criminis acta rea est.
Cultus, & ornatis varie prodisse capillis
Obfuit, ad rigidos promptaque lingua Senes.

Hinc *ingenui crines* apud Stat. libr. II. Silv. I. ℣. 41. dicti videntur illi, qui nullo fuco essent ornati:

O ubi purpureo suffusus sanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina coelo,
Et castigatae collecta modestia frontis,
Ingenuique super crines.

Locum integrum adscripsi, ne quis cum Junio de Pict. libr. III. cap. IX. intelligeret: *crines flavo colore infectos, quoniam haec temporum & sumtuum impensa non nisi ingenuorum esset* pro-

propria. Sed quis credat puerum, quem a modestia commendat Poëta, tinctura flavas fecisse comas. Verum *ingenuos crines* dicit illos, qui nullo fuco ornati sunt, & qui naturalem praeferunt colorem. *ingenuus* enim est naturalis, non arte factus, observante Grang. ad Juven. Sat. III. ℣. 20.

Nec ingenuum violarent marmora tophum.

Et sic *ingenui fontes* apud Auson. Mosell. ℣. 65. sunt fontes non opere facti, nec machinis adsciti, sed a natura prolati, ut recte explicat Barthius. Scalig. ad Auson. de Clar. Urb. carm. III. Salm. ad Solin p. 408. Simili sensu *colorem verum* dixit Terent. Eun. Act. II. Sc. III. ℣. 26. ubi recte Donat. *Quia non de cura est ac de fuco, id est, naturalis, non fucatus.* Quamvis etiam hic Statii locus optime ita intelligi posset, ut ingenui crines adscitiis comis opponantur. Ceterum inunctis capillis quoque depingitur Veritas, apud Martial. libr. X. Epigr. LXXII.

Per quem de stygia domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis.

Sicci capilli hic sunt crines unguento non delibuti, ut *sicci ignes*, in quibus nulla unguenta injiciuntur apud Lucan. libr. VIII. ℣. 735.

Quae

Quae lacerum corpus siccos effundat in ignes.

Adde Grang. ad Juven. Sat. IX. ℣. 12. Eodem modo Palladem, per quam Mentem, Prudentiam & Virtutem significabant oleo delibutam, Venerem vero, quae eadem ac Volupta[s] habebatur, unguento perfusam fuisse scribit Athenaeus libr. XV. Deipnos. cap. X. Videantur alia apud Illustr. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Apoll. vs. 38.

III. Subsequentibus autem temporibus summa cura in id incubuerunt, ut, si minus propria placeret coma, eam varia colorum tinctura mutarent, & sic majorem sibi gratiam conciliarent. Omnia hic medicamenta, quae ad tinguendos capillos excogitata sunt, enumerare longum foret, nec magnopere ad nos pertinent. Quare potius ipsis, a quibus haec accepimus, Medicorum filiis remittimus. Qui velit noscere, in Plinio passim obvia habebit. Consulat etiam Rhodigin. libr. XVIII. Ant. Lect. cap. X. Breviter nos in rem inquiremus. Praecipue tincturam adhibebant ad flavas reddendas comas. Patet ex Lucian. Amor. p. 901. Αἱ μὲν γὰρ φαρμάκοις ἐρυθαίνειν δυναμένοις πρὸς ἥλιον μεσημβρίαν, τοὺς πλοκάμους, ἴσα ταῖς τῶν ἐρίων χροιαῖς, ξανθῷ μεταβάπτουσιν ἄνθει, τὴν ἰδίαν κατακρίνουσαι φύσιν. *Illae quidem medicamentis rube-*

rubefaciendi ad Solis meridiem vim habentibus, capillos perinde, ut lanarum coloribus, flavo inficiunt colore, propriam damnantes naturam. Ibi flavam tincturam diserte praefert nigrae, quod ex seqq. verbis clarius patere potest. Per ξανθὸν ἄνθος autem intelligi puto *crocum*. Croco enim solitos fuisse tinguere capillos scribit Tertull. de Cult. Foem. cap. VI. *Video quasdam capillos croco vertere.* Qua de re etiam superius monuimus. Nec tantum crocum adhibebant, sed & cinerem, ex quo lixivium faciebant, quod *sapo Gallicus* appellatur. Plin. libr. XXVIII. Hist. Nat. cap. XII. *Prodest & sapo. Gallorum hoc inventum rutilandis capillis: Fit ex sevo & cinere.* De eo videtur accipiendus Martial. libr. VIII. Epigr. XXXIII.

Fortior intortos servat vesica capillos,
Et mutat Latias spuma Batava comas.

De simili tinctura Ovidius III. Art. ℣. 163.

Foemina canitiem germanis inficit herbis,
Et melior vero quaeritur arte color.

Ubi tamen male Micyllus haec ad colorem nigricantem refert, quem errorem cum eo

erravit Erudit. Kobierz. de Luxu Roman. lib.I.cap.VI.Alia Scriptorum, quorum testimoniis res haec clarior fieret, adducere possem, nisi mihi otium hic fecissent Lipsius ad Tacit. de Mor. Germ. cap. IV. Heins. ad Ovid. libr. III. Met. ỷ. 440. Vossius ad Catull. p. 142. Rheinesius in Inscr. Cl. I. num. LXXXIX. Periz. ad Aelian. libr. IX. cap. IX. Aliique, quos memorare longum foret.

IV. Flavedinem capillorum praeterea sibi conciliabant Mulieres *cortice nucis*, uti colligitur ex Tibull. libr. I. El. IX. ỷ. 43.

Tum studium formae: coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet, viridi cortice tincta nucis.

Viridis enim idem est ac flavus, quod superius me probasse puto. Et ita *viridi* hoc loco explicandum esse docet nos Plin. libr. XV. H. N. cap. XXII. *Tinguuntur cortice earum lanae, & rufatur capillus prodeuntibus nuculis, id compertum infectis tractatu manibus.* Quem locum jam ad Tibull. adduxerat Eleg. Brouckh. Non libenter igitur cum illis facerem, qui putant cortice nucis tinctas esse comas, ut nigrae fierent, inter quos est Meurs. in Mantiss. ad Luxum Rom. cap. XXI. Et Duportus ad Theophrasti

phrasti Char. cap. II. p. 212. Idque ostendi existimant e versu 45. ejusdem Elegiae:

Tollere tunc albos cura est a stirpe capillos.

Sed, quid eo probent, nullus video. Nam albi crines aeque possunt, ni fallor, intermisceri flavis capillis, quam nigris. Nec in tota Elegia nigrorum capillorum fit mentio. His tincturae generibus addi meretur Theocriti Schol. ad Idyll. II. ℣. 88. Θάψος γάρ ἐϛι ξύλον τι, ὃ καλεῖται σκυθάριον, ἤγουν σκυθικὸν ξύλον, ὥς φησι καὶ Σαπφώ. Τούτῳ δὲ τὰ ἔρια βάπτουσι, καὶ ποιοῦσι μήλινα, καὶ τὰς τρίχας ξανθίζουσιν. *Thapsus enim est lignum, quod vocatur scytharium, seu lignum scythicum, ut dicit etiam Sappho. Illo vero lanas tinguunt, & luteas faciunt, & capillis flavum colorem conciliant.*

V. Inter reliquos etiam ornatus, quos nimia excogitavit labente Rep. Romanorum luxuries, non infimum locum obtinet, solitos fuisse crines *scobe aurea* inspergere, ut aureum acciperent colorem. Trebell. Poll. in Salon. Gall. cap. III. *Gallienus cum suis semper flavum crinem condidit.* Ubi plura notant Viri Docti. Commodus dicitur a Lampr. in Ejus Vita cap. XVII. *Tantam habuisse curam capillorum flavorum, ut capiti auri ramenta inspergeret,*

quo magis coma illuminata flavesceret. Quod de eodem hoc Imperatore refert Herodian. libr. I. cap. VII. §. 9. Κόμη τε φύσει ξανθὴ καὶ οὔλη, ὡς, εἴποτε φοιτῴη δι' Ηλίου, τοσοῦτον ἐκλάμπειν αὐτῷ πυροειδές τι, ὡς τοὺς μὲν οἴεσθαι ῥινημα χρυσοῦ προϊόντι ἐπιπάσσεσθαι. *Et coma natura flava & crispa, ut, si quando in Sole ambularet, illa splenderet veluti ignis, adeo ut putaretur, exeunti scobe aurea inspergi* Confer cum hoc loco Josephum libr. VIII. Ant. cap. II. Martian. Capell. de Nupt. Phil. libr. I. p. 20. *Ipsius vero Divi auro tinctam caesariem comasque crederes bracteatas.* Gallus seu Maximianus Poëta in Catal. Pithoei p. 550.

Anne coma ex auro flava esse tibi Gentia? an auri.
Ex ipsa magis est bractea flava coma.

Eo referunt Eruditi Valerii Flacci versus libr. VI. ℣. 709.

Et gravidae maduere comae, quas flore Sabaeo
Nutrierat, liquidoque Parens signaverat auro.

Ubi omnino conferendi sunt Viri Cl. Vossius & Burmannus.

VI. Qui autem eo modo flavos sibi redderent

derent crines, dicebantur eos *rutilare*. Tacit. libr. IV. Hist. cap. LX. *Propexum rutilatumque crinem patrata demum caede Legionum deposuit* Suet. Cal. cap. XLVII. *Coëgit non tantum rutilare, sed & sermonem germanicum addiscere.* Sic Livius libr. XXXVIII. cap. XVII. Gallis adscribit, *procera corpora, promissam & rutilatam comam, vasta scuta.* &c. Hanc quoque vocem, quamvis paulo alio sensu, Ovid. restituit Nic. Heinsius libr. III. Fast. ỳ. 403.

Cum croceis rutilare comis Trithonia Conjux
Coeperit.

Et sic apud Senec. in Herc. Fur. ỳ. 948.

Ingenti minax
Stat ore, & ignes efflat, & rutilat jubam
Cervice jactans.

Sic ante Lipsium legebatur, quod defendit Gronovius, & duo, quos olim inspexi, MSS. Quamvis idem Gronov. ad Sen. Troad. ỳ. 468. legere malit *jacta*. Notat autem de hac voce ad loc. laud. Vir Celeb. (cujus ego manes semper summa veneratione prosecutus sum) *rutilare de capillis idem esse quod crispare.* Verum liceat dissentire.

 Aliud

Aliud enim probat idem ille locus, quem e Catone (vel potius Val. Max: libr. II. cap. I. ex. 5. Quamvis non dissimilia referat e Catone Serv. ad Virg. libr. IV. Aen. ℣. 648.) *crinem cinere rutilare.* Quod omnino de tinctura intelligi debet, ut inspecto loco patebit.

VII. Ad rutilandos autem capillos adhibitos fuisse, & ab hoc ministerio dictos *Cinerarios*, ab inspergendo scilicet cinere, censet Isaacus Vossius ad Catull. in Nupt. Manl. ℣. 135.

Nunc tuum Cinerarius
Tondet os.

Neque diversa sequi videtur. Joh. Fred. Gronovius ad Plauti Mil. Glor. Act. IV. Sc. II. ℣. 10. *Sed & capillos mulieres rutilabant cinere, unde Ciniflones & Cinerarii.* Vide etiam Statium ad Catulli l. l. Haec tamen non omnibus aeque probatur sententia; alii enim putant ob id *Cinerarios* fuisse dictos, quod flando in cinerem calamistros calefacerent, praeeunte Varr. de L. L. libr. IV. p. 22. *Calamistri, quod his calefactis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, a cinere Cinerarius est appellatus.* Varronis sententiam probat Acro ad Horat. libr. I. Sat. II. ℣. 98. Sed haec loca ab aliis ad nauseam usque sunt trita. Eorum

rum auctoritatem secuti sunt Viri Doctissimi. Pignor. de Serv. p. 398. Torrent. ad l. l. & quicunque fere de Cinerariis scripserunt. Hae autem sententiae ita conciliari posse videntur, *Cinerarios* & ab inspergendo cinere & a flando in cinerem esse dictos, habita ratione diversi muneris, cum utramque rem curare potuerint, calamistrum calefacere, & capillos cinere rutilare. Et certe *Cinerarios* & *Ciniflones* ab inspergendo cinere etiam dictos esse, ut credam, adducit Servius, qui ad libr. XII. Aen. Virg. ✠.611. scribit: *Etiam ille pulvis, quo utuntur Puellae, cinis vocatur, unde etiam & Ciniflones dicti sunt. Cinis* ibi illud erit, quo crines flavos reddebant Puellae: jam dicit Servius, ab hoc cinere, quo flavi tinguebantur capilli, dictos esse *Ciniflones*, quod huic muneri essent praepositi. Interim facere cum illis non possum, qui *Cinerarium* putant fuisse semper inter muliebria ministeria, cum tamen mascul. genere efferatur, nec novum foret Viros etiam ad crines adhibitos fuisse. Sic enim *Tonsores* memorantur apud Grut. Insc. p. MCXVII. num. 8.

V. Φ. F.
T. SALLUSTIUS. T. L. PUSSO
TONSOR.

Aeque ac *Tonstrices* apud eundem p. DXCIV. num. 4.

SEXTIAE. L. TERTIAE
TONSTRICI
SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II.

Simili ratione βαφεὺς *tinctor comarum* appellatur in Anthol. libr. II. cap. IX. carm. 15. Inspiciendi sunt V. D. ad Petron. Sat. cap. CXXVIII. init. Bernart. ad Stat. libr. I. Silv. p. m. 71. Petrus Moll ad Longi Pastor. p. 21. & Ill. Spanhem. ad Call. Lav. Pall. ℣. 21.

VIII. Neque solum flavum colorem medicamentis sibi conciliare solebant, sed etiam nigrum. Hoc tincturae genus inventionem suam debet Medeae, teste Palaeph. de Incred. cap. XLIV. Μήδεια πρώτη τοιοῦτον ἄνθος εὗρε, δυνάμενον καὶ λευκὰς ποιῆσαι τὰς τρίχας, καὶ μέλαινας. Vertit Corn. Tollius. *Medea prima ejusmodi florem invenit, qui & albos reddere capillos & nigros posset.* Vide ad h. l. Paullum Patrem & Polluc. libr. II. cap. III. Segm. 35. Eo colore comas tinxisse Foeminas docet Lucian. in Amor. p. 901. Ὁπόταις δὲ ἀρκεῖν ἡ μέλαινα χαίτη νομίζεται, τὴν γεγαμηκότων πλοῦτον εἰς

τάυ

ταύτην ἀναλίσκουσιν. *Quibus vero sufficere nigra coma videtur, maritorum opes in hanc consumunt.* Nec Viri, qui malis artibus Foeminarum favorem sibi conciliare non erubescerent, ab ea abhorruisse videntur; talem nobis depingit Auson. Epigr. XVII.

Canus rogabat Laidis noctem Myron:
Tulit repulsam protinus.
Causamque sensit: & caput fuligine
Fucavit atra candidum.

Ubi Toll. Et Martialis libr. IV. Epigr. XXXVI.

Cana est barba tibi, nigra est coma, tinguere barbam
Non potes, haec causa est, sed potes, Ole, comam.

Serenus Samonicus de Medic. cap. V.

Quos pudet aetatis longae, quos sancta senectus
Offendit, cupiunt properos abscondere canos
Et nigrum crinem fuco simulare doloso.

Elegantissimus quoque hanc in rem est locus Aristoph. in Eccles. ℣. 730.

Νὴ Δία μέλαινά γ' οὐδ' ἂν εἰ τὸ φάρμακον

Σὺ οὖν ἔτυχες, ὦ Λυσικράτης μελαίνεται.

Per Jovem nigra sane, adeo ut non fores nigrior, etiamsi pharmacum
Coxisses, quo Lysicrates comam denigrat.

Ibi vide Vet. Schol. & Interpretes. Suid. in Λυσικράτης & Philostrat. in Vita Apollonii libr. I. cap. XIII.. Casaub. ad Theoph. Char. cap. II. Et Raderum ad Mart. libr. III. Epigr. XLIII. Quin etiam supercilia nigro colore tinguebant. Artem. Oneir. libr. I. cap. XXVII. Αὗται γὰρ ὑπὲρ εὐμορφίας καὶ μέλανι χρίονται τὰς ὀφρύας. *Hae enim ob formae pulcritudinem etiam fuligine unguunt supercilia.* Alia adfert Rigaltius. Neque solum probrosis foeminis aut mollibus Viris in usu fuerunt hae fucandi artes, verum etiam Matronis, tradente Valerio Max. libr. II. cap. I. ex 5. *Et quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos suos cinere rutilarunt.* Praecipue etiam pathici colorare solebant capillos, ut observat Barthius libr. IV. Adv. cap. III. Quibus propterea saepe accidebat, ut ob nimios motus sudore efflueret omnis fucus e capillis, & ita dolus aperiretur. Qua de re Salas ad Petron. cap. XXIII.

IX.

IX. Pluribus olim non probatus fuit hic tinguendi mos, certe Propertius minatur Puellae suae, plurima apud Inferos pati illas, quae medicamentis comas ornarent libr. II. El. XIV. ℣. 31.

Illi sub terris fiunt mala multa Puellae,
Quae mentita suas vertit inepta comas.

Et exinde defluvium capillorum oriri solebat. Ovid. libr. I. Am. El. XIV. ℣. 1.

Dicebam, medicare tuos desiste capillos,
Tinguere quam possis jam tibi nulla coma est.

Nicias in Anthol. libr. II. cap. IX. carm. 15.

Τὴν κεφαλὴν βάπτων τὶς, ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτάς.
Caput tinguens quidam, perdidit comas ipsas.

Cui adde Achmetis Oneirocr. cap. XXXIV. Et hanc ob causam mulieres contemtui habet Menelaus quidam apud Achill. Tatium in Erot. libr. II. p. 49. Solebant autem praecipue canos tinguere, ut senectutem dissimularent, & juvenes adhuc esse viderentur. Lucian. Dial. Meret. p. 544. & Aelian. libr. VII. H. V. cap. XX. Τὰ μὲν

μὲν ἄλλα ἀλαζὼν, ἠδεῖτο δὲ ἐπὶ τῷ γήρᾳ, καὶ διὰ ταῦτα τὴν τρίχα πολιὰν οὖσαν ἐπειρᾶτο βαφῇ ἀφανίζειν. *Cetera quidem ostentator, pudebat vero eum senectutis, & propter id capillos canos conabatur tinctura tegere.* Vide Ib. Kuhn. Tibull. lib. I. El. IX. ℣. 41.

Heu sero revocatur amor, seroque juventas,
Cum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formae, coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis.

Vide Anthol. libr. II cap. IX. & Achmetis Oneirocr. cap. XXXVII. & seq. Rader. ad Mart. libr. XIV. Epigr. XXVII. Ezech. Spanhem. ad Call. Hymn. in Apoll. ℣. 14. Duport. ad Theoph. cap. II. p 212.

X. Veteribus enim maxime opprobrio exposita erat Canities, praesertim in re amoris, unde Anacreon ita alloquitur Puellam carm. XXXIV.

Μή με φύγης ὁρῶσα
Τὴν πολιὰν ἔθειραν.
Ne me fugias videns
Hanc canam comam.

Quem confer. carm. LVI. & Anthol. libr. II. cap. XLVII. carm. 13. & libr. VII. carm. 71.

71. Tibull. libr. I. El. IX. ℣. 29.

Munera ne poscas , det munera canus Amator
Ut foveas molli frigida membra sinu.

Ideo ἀναφρόδιτον senectutem appellat Aristenaetus libr. I. Epist. XVIII. Et alibi canit Tibullus : *Carior est auro juvenis* &c. Prop. libr. II. Ep. XIV. ℣. 7.

Quid si jam canis aetas mea curreret annis ,
Et faceret scissas languida ruga genas.

Sic malim legere cum acutissimo Bentlejo ad Horat. libr. II. Od. V. ℣. 13. Ut igitur canitiem quocunque possent modo effugerent , soliti fuerunt orientes canos evellere. Aristoph. Equit. ℣. 904.

Ἐγὼ δὲ τὰς πολιάς γέ σου 'κλέγων , νέον ποιήσω.
Ego vero canos tuos legens , juvenem faciam.

Clarum quoque id fit ex historia Juliae apud Macrob. libr. II. Sat. cap. V. *Julia mature habere coeperat canos , quos legere secreto solebat.* Et ex Elegantissimo fabularum Scriptore Phaedro libr. II. Fab. II.

Cum

Cum se putaret fingi cura Mulierum,
Calvus repente factus est, nam funditus
Canos Puella, nigros Anus evellerat.

Nic. Heins. ad Ovid. libr. II. Art. ỳ. 666. Stat. ad Tibull. libr. III. El. IX. ỳ. 45.

Tollere tunc albos cura est a stirpe capillos.

Ad eam autem rem adhibebant *volsellas*. Plaut. Curcul. Act. IV. Sc. IV. ỳ. 21. Ubi inter cetera instrumenta, ad ornandas comas comparata, etiam enumerantur *Volsellae*:

At ita me Volsellae, pecten, speculum, calamistrum meum
Bene me amassint.

Vide Salm. ad Tertull. de Pall. p. 271.

XI. Quod autem paulo ante diximus, canos capillos fuisse despectos, non ubique obtinuit, nam saepe *venerandi* dicuntur, ob aetatem scilicet & reverentiam. Sic Senec. Herc. Fur. ỳ. 1248. *Honorati* apud Ovid. libr. VIII. Met. ỳ. 8. Et in Anthol. libr. I. cap. XVI. carm. 7. Unde *honorem* canis tribuit Valer. Max. lib. II. cap. I. ex 10. *Honor Capitis* appellantur a Plin. in Paneg. cap. IV. *Sancta Canities* occurrit apud Claud. Epigr. de Piorum Fratrum Statius ỳ. 29. Consule Delrium ad Senec.

Senec. Herc. Oetaeo ℣. 925. part. post. ex quibus illustrari potest locus Levit. XIX. comm. 32.

XII. Plurima hic jam addi possent de unguentorum generibus variis, sed cum haec sit a proposito aliena magis materia, & in ea se jam plures exercuerint, sicco pede transeo. Tantum illud addam, comas, quae unguentis illitae essent, *nitidas* appellari, quod me docuit Celeb. Burmannus ad Petron. cap. CIX. De tali coma loquitur Anacr. carm. XXIX.

Λιπαρὰς κόμας ποίησον.
Nitidas comas facito.

Quamvis, ut puto, Doctiss. Barnesius λιπαρὰς non recte per *puras, pulcras* explicet, neque ita explicandus, quem ad partes vocat, Homerus Od. O. ℣. 331. melius enim a Schol. parvo λιπαροὶ explicantur ἠλειμμένοι. Vide & Anthol. libr. III. cap. XXV. carm. 51. Sic quoque Ovidius XXI. Her. ℣. 165.

Projicit ipse suas deducta fronte coronas,
Spissaque de nitidis tergit amoma comis

Et libr. II. Tr. ℣. 171.

Ausoniumque ducem solitis circumvolat armis,

armis,
Ponat & in nitida laurea serta coma.

Vide etiam libr. I. Art. Am. ℣. 733. Prop. libr. III. El. VIII. ℣. 14. Lambinum ad Horat. libr. I. Od. IV. ℣. 9. & libr. I. Ep. XIV. ℣. 32. Quibus adjungendus Brouckh. ad Tibull. libr. II. El. V. ℣. 7.

FINIS.



DIS-

DISSERTATIO

DE

CIVITATE ROMANA

APOSTOLI

PAULI.

DISSERTATIONIS
DE
CIVITATE ROMANA APOSTOLI
PAULI
CAPUT I.

ARGUMENTUM.

I. *Materia proponitur.* II. *Paulum Civem fuisse volunt Eruditi, quod Tarsus esset Municipium seu Colonia.* III. *Nam Coloniae habuerunt jus Civitatis.* IV. *Ut & Municipia: Sed, an Tarsus fuerit Colonia seu Municipium, dubitatur.* V. *Quod ex eo non patet, quia fuit Libera Urbs.* VI. *Urbes liberae quae fuerint.* VII. *Ex quo constat, eas plurimum diversas fuisse a Municipiis seu Coloniis.* VIII. *Nec juvat V. D. quod Tarsus Immunitatem vectigalium habuerit, immo potius eorum sententiam evertit.* IX. *Praeterea Socii vocantur Tarsenses, quo nomine nunquam Cives Municipiorum insigniuntur.* X. *Neque prodest, quod Juliopolis appellata sit*

Tarsus. XI. *Nihil juvat Chrysostomus.* XII. *Neque e nummo male inspecto probatur.* XIII. *Nec recte ex eo argumentatur, quia Metropolis fuit, ergo & Colonia. Caesar tent.* XIV. *Baronii*, XV. *& Prosperi error.*

§. I. INter obscurissimas & gravissimas, si vera fateri liceat, quaestiones non infimum locum obtinere videtur illa, qua disquiritur, quonam modo, quove jure Paulus Apostolus Civis Romanus esse potuerit, quidve voluerit, quando se, cum verbera ei pararentur, Civem Romanum professus sit. Quaestio sane intricata & pluribus impedita difficultatibus: quae causa fuit, quamobrem acutissima hujus & prioris seculi ingenia multum operae & laboris in hac consumserint. Variae sunt Virorum Eruditorum sententiae, quas hac Dissertatione paulo latius excutere est animus, & de ea re, si tantos Viros interstrepere liceat, judicium meum exponere.

II. Vulgatissima olim & nullis fere non recepta sententia fuit, Paulum Civem eo jure exstitisse, quod in Urbe Tarso natus jure *Municipii* seu *Coloniae* Romana Civitate gavisus fuerit. Hanc sententiam pro-

professi sunt Vir summus Dan. Heinsius in Exerc. ad Acta Apost. cap. XXII. Beza & Camer. ad eundem loc. Dion. Gothofr. ad l. 1. §. 1. de Censibus, Dougtaeus in Anal. ad N. T. exc. LXII. Steph. Morinus de Cogn. Laced. & Hebr. Diss. IV. p. 150. Cellar. Diss. de Amoen. Histor. §. 3. qui tamen sententiam suam postea mutavit, ut etiam Cl. Witsius in Melet. Leid. Sect. I. §. 6.

III. *Colonias* & *Municipia* Civitate Romana donatas, & Municipii seu Coloniae Cives fuisse Cives Romanos negari non potest, cum ex Antiquis hac de re passim testimonia proferri possint. De Coloniis est apud Livium libr. XXII. cap. XIV. *Ne Civium quidem horum pudet, quos Sinuessam Colonos Patres nostri miserunt, ut ab Samnite hoste tuta haec ora esset.* Cic. pro Balbo cap. VIII. & Hirtius in B. Alex. cap. XLIII. §. 3. *Adeoque est a barbaris contemtus, ut Salonam se recipiens in oppidum maritimum, quod Cives Romani fortissimi fidelissimique incolebant, in agmine dimicare sit coactus. Salonam* autem Coloniam Romanorum fuisse docuit Sigon. de Ant. Jur. Prov. libr. I. cap. VII. Sed probe distinguendum est inter Colonias *Romanas*, *Latinas* & *Italicas*. Duas ex his memorat Asconius ad Cic. Orat. in Pis. initio; *Duo porro genera ea-*

rum Coloniarum, quae a Populo Romano deductae sunt, fuerunt. Erant enim aliae, quibus jus Italiae dabatur, aliae item, quae Latinorum essent. De earum differentia, quia hic non est agendi locus, videri merentur Cujac. libr. X. Obs. cap. XXXV. Abramus ad Cic. pro Balbo cap. XXI. Petitus libr. II. Obs. cap. IV. & Norisius in Epochis Syromac. Diss. IV. §. 2. p. 428. In Colonias tamen Latinas etiam aliquando proficiscebantur Cives Romani, qui eo facto videntur Civitatem Romanam amisisse. Colligitur id ex Cic. pro Caec. cap. XXXIII. in fine: *Quemadmodum, si Civitas adimi non possit, in Colonias Latinas saepe nostri Cives profecti sint. Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt &c.* Vide etiam Spanhem. in Orb. Rom. Exerc. I. cap. VIII. p. 64.

IV. Nec majoris erit difficultatis ostendere, *Municipia* etiam jus Civitatis habuisse. Dum in his, quae notiora sunt, longior esse nolim, unum, ex quo id patere possit, proferam locum e Cicer. pro Mil. cap. X. *Interim cum sciret Clodius iter solenne, legitimum, necessarium Miloni esse Lanuvium ad Flaminem prodendum, quod erat Dictator Lanuvii Milo, Roma profectus est.* Civis autem Romanus erat Milo, qui eo maxime tempore Consulatum Romae pete-

petebat. Sed *Lanuvium* Municipium ei erat Patria, & ibi erat Civis, eoque jure Civis Romanus. Appian. libr. II. Civ. p. 725. Edit. Toll. Lanuvium vero civitate donatam fuisse ipse Cicero docet Orat. pro Balbo cap. XIII. Atque ita Cives e Municipiis saepe etiam habebant jus petendorum honorum, quale exemplum de Consulatu quoque exstat in Cicer. Orat. pro Mur. cap. XL. qui Murena ex eodem Municipio Lanuvio originem ducebat, ut ex capite seq. ejusdem Orat. colligere licet. Adde praeterea Orat. pro Sulla cap. VII. & VIII. Et hoc erat non leve inter *Municipia* discrimen, ut alia haberent jus suffragii, alia non, id quod innuit Livius libr. XXXVIII. cap. XXXVI. *De Formianis Fundanisque Municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappus Trib. Pl. promulgavit, uti iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant Civitatem) esset.* Neque levior est inter *Municipia* ipsa & *Colonias* differentia, adeo ut Municipia potiori jure plerumque ac Coloniae censeantur. In hisce diutius exspatiari, nec animus fert nec ipsa patitur materia. Videatur Paulus Manutius de Civit. Rom. tom. I. Ant. Graev. p. 20. & 30. Varia discrimina passim reperiri possunt apud eos, qui de Civitate Romana scripserunt, qui-

bus adde l. 27. §. 1. ff. ad Munic. Ill. Spanhem. de Usu Numism. Diss. IX. p. 652. edit. maj. & Eruditiss. Cortium ad Sall. Catil. cap. XVII. §. 4. Inter ea vero non ultimum locum obtinet id, permissum fuisse Municipiis, moribus suis vivere, & ex suis legibus, suisque Magistratibus jus dicere, ut recte Norisius in Epochis Syromac. Diss. III. cap. IX. p. 325. Unde passim exstat in Corpore Juris *Municipalium Legum* mentio, quod observat cum aliis Spanh. ad Julian. Orat. p. 38. Cum Romanae Coloniae etiam leges Romanas accipere debuerint. Spanh. de Num. Diss. IX. p. 580. & seqq. Quare Municipia & Colonias non raro inter se distinguunt Antiqui Scriptores. Cic. pro Domo cap. XII. & XXVIII. & Phil. XII. cap. III. Sall. Catil. cap. LXI. Livius libr. XXXIV. cap. VII. & Appian. libr. I. Bell. Civ. p. 608. Atque ideo populum R. in tres partes dividit Cicero ad Quir. post Red. cap. VI. *Salutem Vobis, Municipiis, Coloniisque omnibus commendavit.* Quocum confer. cap. XII. & XV. Non dubitandum igitur, quin Municipia & Coloniae jus Civitatis Romanae habuerint, quare tantum superererit evincere, Tarsenses jus illud Municipii seu Coloniae habuisse. Varie hic se torquent Eruditi,

diti, sed nullus adhuc ab iis prolatus est locus, ex quo patere possit hujus rei veritas. Totus in eo est Vir stupendae Eruditionis Dan. Heinsius loc. laud. sed liceat ejus aliorumque argumenta paulo latius excutere.

V. Primum, quod profert Argumentum Vir Incomparabilis, ex eo deducit, quoniam Tarsus fuit ἐλεύθερα seu *libera Civitas. Libertate* enim (non *jure Civitatis*, quod de suo largiuntur Viri Eruditi) donati erant Tarsenses ab Antonio Triumviro, ut eos, variis in bello civili cladibus afflictos, erigeret aliquo modo & recrearet. Testis est Appian. libr. V. Bell. Civ. p. 1077. Λαοδικέας δὲ καὶ Ταρσέας ἐλευθέρους ἀφίει. *Laodicenses vero ac Tarsenses liberos reliquit.* Eosdem postea jus illud retinuisse patet ex Plin. libr. V. Hist. Nat cap. XXVII. cui *libera urbs* dicitur: *Cydnus Tarsum liberam urbem paulo a mari secans.* In nummis Antonini Caracallae legimus ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡΣ. Quod est, *Senatus liberae Tarsi.* Spanh. in Orb. Rom. Diss. II, cap. XII. p. 359. & II. XVI. p. 418.





Hic nummus exprimitur apud Morellium in Specim. Rei Numm. tab. IV. Verum haec Urbis Tarſi libertas nullo modo Eruditorum ſententiam firmare poteſt; immo tantum abeſt, ut e contrario eam potius evertere videatur. Quare ut rectius hoc argumentum refelli poſſit, operae erit pretium, altius hanc rem repetere, & de liberis populis aliqua ad hujus rei illuſtrationem in medium proferre.

VI. De liberis populis, quae nobis ſuperſunt, ut pleraque de Civitate Romana, ſatis ſunt intricata. Clariorem his lucem attulit Vir extra omnem aleam eruditiſſimus, & in cujus verba ego tantum non jurare ſoleo Ezech. Spanhemius in Orb. Rom. Diſſ. II. cap. X. *Liber* quis ſit *populus* tradit ICtus Proculus in l. 7. ff. de Capt. & Poſtl.

Rev,

Rev. *Liber populus is est, qui nullius alterius populi potestati est subjectus, sive is foederatus est, item sive aequo foedere in amicitiam venit, sive foedere comprehensum est, ut is populus alterius populi majestatem comiter observaret, hoc enim adjicitur, ut intelligatur alterum populum superiorem esse: non ut intelligatur, alterum non esse liberum.* Liberae igitur Civitates erant, quae suis utebantur legibus, suos habebant Magistratus, suas terras possessionesque retinebant, quique, quamvis a Romanis non essent in Provinciae formam redactae, imperium tamen Majestatemque Populi Romani agnoscere debebant, & iis contra hostes auxilia mittere. Legibus suis usas fuisse liberas civitates colligitur ex Polyb. in Excerp. Leg. IX. p. 1110. Edit. Gron. Ὥστε ἅπαντας Ἕλληνας ἐλευθέρους ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους γενέσθαι, νόμοις χρωμένους τοῖς ἰδίοις. *Ut omnes Graecos liberos, sine praesidiis, immunes fierent, legibus suis viventes.* Et Livio libr. XXXIII. cap. XXXII. Cui cum Cicer. Orat. III. In Verr. cap. VI. adde Spanhem. Obs. ad Julian. Imp. Orat. p. 37. Suos habuisse Magistratus erudite ostendit Spanh. de Usu Num. Diss. IX. p. 676. & 691. Hinc etiam sine lictoribus libera & foederata oppida adibat Germanicus apud Suet. Calig. cap. III. §. 6. Neque Praesules Romani ullam fere in liberis Urbibus habebant

bant jurisdictionem. Cic. de Prov. Conf. cap. III. *Omitto jurisdictionem in libera civitate contra leges senatusque consulta: caedes relinquo, libidines praetereo.* Eos autem, quibus jus liberae Civitatis concessum fuit, suos agros suasque possessiones retinuisse colligitur ex Cicer. Libro II. in Verr. cap. XXXVII. *Cum Senatus Populusque Romanus Thermitanis, quod semper in amicitia fideque mansissent, urbem & agros, legesque suas reddidisset.* Quamvis tributa pendere debuerint, nisi singulari beneficio iis *immunitas* daretur. *Immunitas* enim, seu, ut Graeci ἀτέλεια, Appian. B.C. lib. I. p. 668. erat privilegium a *libertate* diversum; unde saepius distinguuntur. Hirt.Bell. Afric. cap. VII. *Inde movit & pervenit ad oppidum Leptin liberam civitatem & immunem.* Cic. libr. III. in Verr. cap. VI. *Quinque praeterea sine foedere immunes civitates ac liberae.* Ad quem modum *Immunitatem* & *libertatem* jungit idem pro Font. cap. VIII. Confer Cicer. V. in Verr. cap. XXI. & Spanh de Usu Numism. Diss. IX. p. 676. Idem hoc *immunitatis* beneficium in Tarsenses fuit collatum teste Appian. loc. laud. cum eos factos scribat ἐλευθέρους καὶ ἀτελεῖς φόρων, *liberos & immunes collationum.* Ex his clare satis apparet, in liberas civitates non ut in victam ac debellatam gentem,

sed

ſed ut in amicam potius conſuluiſſe Romanos. Unde maxima eſt differentia inter liberas Civitates, & eas, quae in Provinciae formam redactae erant. Hujus diſtinctionis clara ſunt veſtigia in Eutrop. libr. VII. cap. XIX. *Achaiam, Lyciam, Rhodum Byzanthium, Samum, quae liberae ante hoc tempus fuerant, item Thraciam, Ciliciam Tracheam, Comagenem, quae ſub Regibus amicis erat, in Provinciarum formam redegit.* Et in Cic. pro Balb. cap. IV. *Quem Provinciae noſtrae, quem liberi populi, quem Reges, quem exterae gentes caſtiorem &c. viderunt.* Hanc libertatem exprimunt Graeci per κεῖσθαι ἐν τῇ πίστει Romanorum, *eſſe in fide.* Polyb. libr. III. Hiſt. cap. XV. Et διατηρεῖν τὴν πίστιν, *ſervare fidem.* eod. libr. cap. XC. in fine. Sic Latini, *recipere in fidem.* Hirtius B. Alex. cap. LXV. Et *accipere in fidem.* Eutrop. libr. V. cap. VII. Alio ſenſu *dare ſe* εἰς τῶν Ρωμαίων πίστιν, pro *arbitrio Romanorum*, qui bello ſuperiores erant, *ſe permittere* accipiebant Romani apud Polyb. in Excerp. leg. XIII. p. 1115. Debebant autem hi ita in fidem Romanorum recepti copiis ſuis & commeatibus Romanos adjuvare, quare hanc ſocietatem Graeci exprimunt per συμμαχίαν, ut apud Polyb. Excerp. Leg. CIX. Dion. Caſſ. XL. p. 154. Edit. Steph. & paſſim. De

com-

commeatibus est apud eundem Dionem. libr. XL. p. 152. Εἴτε τι παρὰ τῶν πόῤῥωθεν συμμάχων ἐκομίζετο αὐτοῖς, διήρπαζον. *Sive, quod undique a liberis civitatibus iis supportabatur, diripiebant.* Cui addi potest Cicero pro Balbo cap. XVII.

VII. Ex his puto satis apparebit, liberas Civitates à Municipiis seu Coloniis plurimum differre, quod clarius insuper colligitur ex l. 7. pr. ff. de Capt. & Postl. *Non dubito, quin foederati & liberi nobis externi sint, nec inter nos atque eos postliminium esse.* Ut legit Cujac. libr. XI. Obs. cap. XXIII. Docet ICtus postliminii jus non esse inter *Romanos* & *liberos*, quoniam externi sint, & idem jus civitatis non habeant. Firmatur haec de liberis civitatibus sententia etiam ex Cicer. pro Balb. cap. VIII. *In eo magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis Civitatibus foederis sui libertatem Civitati* (sc. Romanae) *anteferret.* Suet. Ner. cap. XXIV. *Provinciam universam libertate donavit, simulque judices Civitate Romana & pecunia grandi.* Si igitur liberae gentes & Municipia seu Coloniae tantum inter sese differant, nemo erit, qui non videat, ex libertate hac Tarsensibus data nihil minus sequi, quam Municipium vel Coloniam effectam esse Tarsum. Contrarium tutius statuitur, non po-

potuisse simul *Liberos* & *Municipes* seu *Colonos* Romanorum esse; cum haec essent privilegia, quae in unam urbem simul conferri non poterant, si enim jus Municipii acciperent, amittebant jus liberae Civitatis, id quod colligi potest ex Cicer. loco modo laud.

VIII. Vidimus supra ex Appiano Tarsenses *immunes* & a vectigalibus levatos fuisse. Eandem rem testatur etiam Lucianus in Macr. p. 473. Edit. Graev: Ἀθηνόδωρος Σάνδωνος, Ταρσεὺς, Στωϊκὸς, ὃς καὶ διδάσκαλος ἐγένετο Καίσαρος Σεβαστοῦ Θεοῦ, ὑφ' οὗ ἡ Ταρσέων Πόλις καὶ φόρων ἐκουφίσθη, *Athenodorus Sandonis, Tarsensis, Stoïcus, qui etiam praeceptor fuit Divi Augusti Caesaris, a quo Tarsensium Civitas etiam vectigalibus levata fuit.* Quem etiam locum in aciem collocant hujus sententiae Patroni, quasi ex eo sequi deberet, accepisse Civitatem Romanam Tarsenses, cum vectigalium immunitas iis tribueretur, plane ac si Immunitas & Civitas conjuncta essent beneficia. Verum si haec consequentia procederet, admodum absurde statuendum foret, neque *Municipes* neque *Colonos*, neque ipsos aliquando *Cives Romanos* jus Civitatis habuisse. Constat enim Municipes, Colonos ipsosque olim Cives Romanos debuisse tributa pendere, si non singulari decreto im-

immunitas iis concessa fuisset. Quicunque igitur tributa pendebant non essent Cives Romani, qui autem remissionem vectigalium acceperant, ea re inter cives numerarentur. Quod, quam ridiculum sit, nemo non videt. Si quis contrariam sententiam valentioribus argumentis pervincere conaretur, *Tarsum* non fuisse *Municipium*, jure merito haec loca ad partes vocaret. Qui enim alicujus merita enarrare & extollere cupit, quod facit Appianus & Lucianus l. l. inepte fecerit, si missis majoribus minora solummodo referat beneficia, dicere tantum *Immunitatem* esse ab Augusto concessam, si *jus Civitatis* acceperant: Cui accedit *Immunitatem* ac *Civitatem*, tanquam multum inter se diversa privilegia, distingui a Suet. Aug. cap. XL. §. 7. *Et Liviae pro quodam tributario Gallo roganti Civitatem negavit, Immunitatem obtulit, affirmans, se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quam Civitatis Romanae vulgari honorem.* Hinc *immune Municipium* est apud Cicer. libr. V. in Verr. cap. XXII.

IX. Addi hic meretur Cassium Tarsenses *Socios* vocare apud Cicer. libr. XII. ad Famil. Ep. XIII. *Dolabellam ut Tarsenses, pessimi Socii, ita Laudiceni, multo amentiores, ultro arcessierunt.* Si autem Tarsenses fuerunt *Municipes* Romani, cur eos *Socios* vocat

vocat, cum praesertim *Municipia* & *Socios* distinguere videatur Livius libr. XXVI. cap. XXIV. *Jam inde a Majoribus traditum morem Romanis colendi Socios, ex quibus alios in Civitatem atque aequum secum jus accepissent, alios in ea fortuna haberent, ut Socii esse quam Cives mallent.* Per eos, quos in Civitatem & aequum jus acceperant intelligo *Municipes* aliosque, qui Civitatem Romanam adepti erant, quos quibusdam in rebus deteriori jure fuisse ac Socios constat etiam ex eo, quod Sociorum saepe plurimi Civitatem oblatam accipere recusarint, quale est exemplum apud Cicer. pro Balbo cap. VIII. Praeterea quis unquam audivit Municipiorum Cives in exercitu Romano vocari *Socios*, cum *Socii* sint illi, qui ex Civitatibus Italicis conscribuntur, unde passim a *Civibus*, inter quos Municipes collocabantur, distinctos reperies *Socios*, ita Livius libr. XL. cap. XVIII. & XXVI. libr. XLIV. cap. XXI. Polyb. libr. III. Hist. cap. LXXXV. p. 327. & alibi.

X. *Juliopolis* Tarsus dicta est teste Dion. Cass. libr. XLVII. p. 390. Edit. Steph. Οὕτω γὰρ προσφιλῶς τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ, καὶ δι᾽ ἐκεῖνον καὶ τῷ δευτέρῳ οἱ Ταρσεῖς εἶχον, ὥστε καὶ Ἰουλιόπολιν σφᾶς ἀπ᾽ αὐτοῦ μετονομάσαι. *Tantopere enim Caesari primo & pro-*

pter eum etiam secundo Tarsenses studebant, ut etiam ab eo Juliopolin nominarint. Vide Erud. Norisium in Epochis Syrom. Diss. III. §. 2. p. 273. Rationem hujus appellationis ex eo deducunt, quasi Caesar eo Coloniam deduxisset, & sic Tarsenses Cives Romanos effecisset. Sed hanc ipsam urbem non solum *Juliopolin*, verum etiam *Hadrianam*, *Severianam*, *Alexandrinam*, *Antoninam*, *Macrinianam*, &c. a totidem Imperatoribus dictam fuisse reperies apud Spanhem. de Usu Num. Diss. III. p. 201. (Edit. min. cum ea in Editione nuperrima, ut alia plurima, ab ipso Auctore sint praetermissa.) In Orb. Rom. Exerc. II. cap. XI. p. 345. & in Epistola ad Morellium V. p. 299. An ergo omnes hi Imperatores Coloniam Tarsum deduxerunt, & ita eos jure Civitatis donarunt? Non puto, praesertim cum ipse Dio aliam hujus denominationis rationem dare videatur, quia Caesaris partibus studerent, eique faverent. Nec novum est, Civitates quasdam de nomine Romanorum Principum esse dictas, ut eorum favorem & gratiam captarent, licet ab iis Civitatem Romanam non impetrassent. Illustrat hoc Eutrop. libr. VII. cap. X. *Tanto autem amore etiam apud Barbaros fuit, ut Reges Populi Romani Amici in honorem ejus conderent civitates, quas*

Cae-

Caesarias nominarent. Sic quoque Parentes principis alicujus honoris caussa nomine ejus Liberos solebant insignire. Docuit id Ligtfootus ad Lucae cap. I. comm. 54. p. 494 Veteres legimus Regiones, Urbes, fluviosque Regum aliorumque Virorum, quorum merita exstarent, nominibus insignivisse. Consule Litteratissimi Relandi Diss. de Mari Rubro §. 15. Praeterea, si a Caesare Colonia esset deducta, non ipsi sibi nomen imponere debuissent, sed is, qui huic Coloniae erat praefectus. Non est igitur causa, cur miretur Vir incomparabilis Dan. Heinsius l. l. quare Ulpianus, cum in l. 1. §. 11. ff. de Censibus Ciliciae aliarumque Regionum Colonias enarraret, *Juliopolin* hanc omiserit. Nam si vel maxime *Juliopolis* fuisset Colonia Romana, tamen omnino in d. l. ab Ulpiano omitti debebat, cum ibi tantum agat, *de Coloniis, quae jus Italicum habebant.*

XI. Pervenimus nunc ad Dionis Chrysostomi testimonium, quod apud Viros Eruditos maximi momenti & ponderis habetur. Ille itaque Orat. XXXIV. p. 415. his verbis Tarsenses alloquitur. Κἀκεῖνος ὑμῖν παρέσχε χώραν, νόμους, τιμήν, ἐξουσίαν τοῦ ποταμοῦ τῆς τε θαλάσσης τῆς κατ' αὐτήν. *Et ille vobis dedit agros, leges, honorem, imperium fluvii & maris vicini.* Haec

ita explicat Vir Summus, quem honoris causa saepius nomino, Dan Heinsius: *Agrum: liberum videlicet, ac sic immunem. Leges: quae de Libertate, municipiis conferri solitae. Honorem: ipsum Civitatis nempe jus; eximium in primis ac praeclarum, quod* רהומיותא *Romanitatem, Syrus dixit.* Ad ea reponit Ill. Spanh. in Orb. Rom. p. 141. & totidem fere verbis Cellarius, cui Spanhemii responsio haec, ut & alia de Civitate Pauli admodum placuerunt, Diss. de Civ. Rom. Pauli §. 23. *Neque enim honore, quo inter alia adfectam ab Augusto dicit Tarsum Dio, Romanae Civitatis beneficium innuitur; sed primatus gentis, seu metropoleos dignitas, qua ornata fuit eadem Tarsus.* Et confer Diss. II. cap. XII. p. 358. Possumus & per τιμὴν quoscunque alios honores & beneficia intelligere, quae huic Urbi concedere Augustus potuit. Quod autem Chrysost. dicit παρέσχειν χώραν καὶ τιμὴν, *dare agros & honorem* per προσάγειν καὶ χώραν προσνέμειν, *praeferre, honorem dare, & terras tribuere* exprimit Polyb. Excerpt. Leg. XXXVI. p. 1172. Χίους δὲ, καὶ Σμυρναίους, ἔτι δ' Ερυθραίους, ἔντε τοῖς ἄλλοις προῆγον, καὶ χώραν προσένειμαν. *Chiis vero & Smyrnaeis, praeterea etiam Erythraeis & in aliis rebus honorem habuit, & agros attribuit.*

tribuit. Hic Chiis aliisque honor habebatur, cum tamen jus Civitatis illis non attribueretur. Similiter Spartianus in Hadr. cap. XIII. *Multum beneficiorum Provinciis Africanis attribuit*, quo tamen non declaratur, Civitatem dedisse his Provinciis, sed privatis adfecisse beneficiis.

XII. His adjungimus, Ill. Spanh. de usu Num. p. 785. Edit. Min. Tarsensis Coloniae Romanae jus vindicare conari ex nummo, in quo haec legerentur. ΚΟΛ. ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡϹ. *Colonia Libera Tarsus.* Sed bonum factum! cum ipse postea suam revocarit sententiam, quasi id scripsisset inductus fide Patini. Obstat enim omnis antiquitatis ratio, namque in praecedentibus ostendimus, Tarsum fuisse Liberam Civitatem, quae legibus suis vivebat, simul igitur Colonia Romana esse non poterat, cum olim Coloniae legibus Romanis uterentur. At legendum est ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡϹ. *Senatus Liberae Tarsi*, quod jam superius monuimus, ideoque Spanh. in Edit. Numism. noviss. haec omnia delevit.

XIII. Pro hac sententia desumi etiam posset argumentum ex eo, quod Tarsus fuerit Metropolis, & Ciliciae primaria Urbs; Unde in nummis ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΗϹ ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ *Commune Ciliciae Tarsi Metropoleos* Spanh. Epist. I.

 ad

ad Morell. p. 84. *Mater Urbium* dicitur Solino cap. XXXVIII. & Ammian. Marc. libr. XIV. cap. VIII. tradit: *Tarsum Urbem perspicabilem nobilitare Ciliciam, quae Cydno amne exultat. Ciliciam* dicit, *quae Cydno amne exultat*, quia in duas partes erat divisa, hinc duas habebat Metropoles, de qua re agit Spanh. de Numism. Diss. IX. p. 595. & Noris. de Epochis Syrom Diss. IV cap. I. p. 358. Praeterea de Tarso scribit Auctor Bell. Alex. cap. LXVI. *Cujus Provinciae* (Ciliciae) *civitates omnes evocat Tarsum, quod oppidum fere totius Ciliciae nobilissimum fortissimumque est*. An legendum potius? *firmissimumque est*. Ut Caes. libr. V. Bell. Gall. cap. XX. *Firmissima earum regionum Civitas*. Davis. ad Caes. libr. I. Bell. Gall. cap. III. Frustra enim esse mihi videtur Erud. Borrichius Cog. L. L. p. 108. & 109. cum probare contra Vossium conetur, recte dici *arx fortissima, urbs fortissima*. Locus, qui unice ejus firmaret sententiam e Cicer. Orat. XII. Phil. cap. III. vitiose adducitur, cum ibi non reperiatur *urbi fortissimae conanti*, sed *fortissime* adverbialiter & recte quidem. Poëtam Anonymum & sequioris aevi non curamus, qui haec ita posuit, ut per *fortior* & *fortissima* quandam versui conciliaret elegantiam, purioris Latinitatis detri-

detrimento. Has autem voces non raro a librariis inter se confusas fuisse docent Heinsius ad Ovid. libr. III. Fast. ℣. 279. Gron. ad Liv. libr. XXIII. cap. XXV. & Wasse ad Sallust. Jug. cap. XXX. p. 312. Sed ad rem. Primariam igitur Tarsum fuisse Ciliciae civitatem docet Noris. Epoch. Diss. IV. cap. I. p. 368. Quare τῆς Κιλικίας ὀφθαλμὸς dicitur in Historia Pauli ex antiq. membranis a Boeclero edita, quae in Bibl. Crit. praefixa est Epistolae ad Rom. Cum itaque Tarsus urbs fuerit Metropolis suspicari quis posset, etiam Tarsum Coloniam deductam esse, seu Municipium effectum. Constat enim omnes fere Metropoles fuisse Colonias, utilissimo Romanorum consilio, ut ope primariae hujus urbis minores in fide & obsequio continerent. Agit de hac re Spanhem. de Numism. Diss. II. p. 106. *Frequenter enim sub Romanorum Imperio primariae gentis urbes ac Metropoles, eaedem & Coloniae, sicut conjunctam passim nosti utramque loci praerogativam in nummis ejusdem Macedoniae. &c.* Quem etiam consule Diss. IX. p. 602. Tale exemplum occurrit in Act. Apost. cap. XVI. comm. 12. Ἐκεῖθέν τε εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, Κολώνια. *Indeque Philippos, quae prima est hujus partis Macedoniae Ci-*

 vitas,

vitas, *Colonia*. Quod de Urbe Philippis tradit etiam ICtus in l. 8. §. 8. ff. de Censibus & elegantioris Litteraturae Cultor eximius Le Moyne in Var. Sacr. tom. II. p. 64. Quamvis Urbs haec ab aliis Thraciae adscribatur, quibuscum facit Pomp. Mela libr. II. cap. II. lin. 113. De aliis primariis Urbibus idem refert Dio Cass. libr. XLIII. p. 270. Appian. libr. I. Bell. Civ. p. 604. & 683. Edit. Toll. & Cicer. pro Flacco cap. XXVII. Alia loca collegit Bernecc ad Just. libr. XLIII. cap. III. in fine. Sed hoc non multum prodesse Viris Doctis potest, cum in variis regionibus plurimae etiam extiterint Metropoles, quae tamen Coloniae Romanorum non fuerunt.

XIV. Ridiculus est error Baronii, Viri ceteroquin admirandae Eruditionis, in Hist. Eccles. ad hunc locum p. 580. cum ex versione vulgata, ubi πολίτης per *Municipem* vertitur, jus Municipii Tarsensis demonstrare conatus est. Sed optime eum ipse refellit Heinsius, docens, *Municipem* nihil aliud eo sensu notare, quam *civem*, de qua vocis significatione videri etiam meretur Celeb. Dukerus in Latin. ICt. p. 49.

XV. Sic puto satis contra Virum Eruditissimum Heinsium probavimus, *Tarsum* ne-

neque *Coloniam* neque Romanorum fuisse *Municipium*. Non necesse igitur erit pluribus refellere Prosperum de Prom. & Praed. Part. II. Sect. XI. cujus verba adponam: *Itaque eo anno professionis illius, quae facta est praeside Cyrenio, natus est Christus Dominus. In qua descriptione venit & Paulus. Sic enim intelligendum est, quod Tribuno Lysiae dixit, Ego autem natus sum Romanus. Omnes enim pretio comparabant hujus nominis dignitatem. Hic vero Judaeus cum dixit, natum se esse Romanum, clarius ostendit, in illa se descriptione venisse, nato jam praecursore & praecone domini regis & judicis, a quo tempus gratiae sumsit initium.* Haec ejus verba cum Dougtaeo in Anal. Sacr. etiam protulit dicto l. Heinsius, qui non injuria miratur, talia tanto Viro excidere potuisse.

CAPUT II.

Argumentum.

I. *Grotii, Spanhemii, Gronovii aliorumque sententia proponitur, qui donatam vel emtam esse existimant.* II. *Clericus de manumissione refellitur.* III. *Civitas Romana saepe fuit vendita, saepe etiam dona-*

 ta.

ta. IV. *Sed hae sententiae refelluntur*, 1. *quod non licuerit in duabus Civitatibus esse Civis, ut Paulus erat Tarsi nempe & Romae. ff. expl.* V. *Unde mutare & Civitatem dicuntur illi, qui in Romanam se conferunt.* VI. *Ex quo fonte deducenda est exilii ratio apud Romanos.* VII. *Zegerus refellitur, qui alio modo explicat verba* Οὐκ ἀσήμου Πόλεως Πολίτης. Οὐκ ἄσημος *quid notet.* Πρώτη *pro Metropoli. Acta Apost. Ill.*

§. I. NEque Coloniae neque Municipii jus habuisse Tarsenses, supra, ni fallor, satis ostendimus, quod intelligens Vir Summus Grotius ad Act. cap. XXII. comm. 28. in aliam omnino sententiam abiit. Putat enim, *aliquem Majorum Pauli bellis civilibus, quae inter Caesarem Augustum & Antonium intercessere, jus illud sibi comparasse.* Timide satis Grotium sequitur Illustr. Spanh. in Orbe Rom. Diss. I. cap. XVI. p. 148. scribens: *quocunque titulo aut jure id Majores ejus essent adepti.* Cum p. 140. clare satis ostenderat, existimare se emtione accepisse jus Civitatis Pauli Parentes. Emtionem omnino rejicit Cellarius, premens, ut ipse testatur, vestigia Spanhemii, in Diss. de Paulo Cive Rom. §. 25. ubi existimat, non bene cum

cum honestate & integritate Pauli Majorum constare posse, utpote qui ab omni ambitione & lucro alieni fuerunt. Sed quae nova Cellarium incesserit religio, nullus video. Nam de eorum integritate rara hodie exstare monumenta autumo, nec, quis tantus hominem honestum & integrum remorari scrupulus poterit, ne jus Civitatis in quacunque demum urbe emere liceat, percipere queo. Haec tamen ratio est, cur Cl. Cellarius potius in Grotii sententia acquiescere voluerit, & donatam Majoribus existimare. Cui opinioni etiam calculum suum adjicit Vir Solidisf. Salomon van Til in Opere Anal. Epist. ad Rom. init. ubi inter alia haec refert: *Spanhemium iis argumentis refutasse, Tarsum fuisse Coloniam, ut de falsitate istius supputationis amplius dubitandum non sit.* Tandem Cl. Jac. Gron. ad Josephi Decr. pro Jud. p. 42. omnes dissentientium rationes turbare conatur, ostendendo, ex nulla alia re, quam ex emtione Civitatem Romanam sibi paravisse Pauli Parentes, ubi id satis ample persequitur.

II Contumeliose nimis sentire videtur Erud. Clericus ad Act. cap. XXII. ℣. 25. Pauli Patrem Romae serviisse servitutem, ex qua manumissus libertatem sibi comparasset. Sed, quamvis alios in diversa abi-

re

re norim, Paulus tamen nobis ex abjecta adeo familia prognatus non videtur, Vir inter Judaeos notissimus, cuique supprimendorum Christianorum commissa fuit cura, quam sane non sit verosimile ignobili Viro creditam esse provinciam. Quod si verum est, non statuerem facile, Pauli Patrem Romae servitutis jugum subiisse, cum nobiliores fere & potentiores a Romanis in servitutem redigi non solerent. Liv. libr. I. cap. XXXIX. *Cum inter reliquas captivas cognita esset, ob unicam nobilitatem ab Regina Romana prohibitam ferunt servitio.* Et si vel maxime Romae serviissent Pauli Parentes, & manumissione liberi essent facti, eaque re Cives Romani, tamen illud jus amisissent, quoniam jure postliminii in Patria iterum recepti erant. l. 5. §. 3. ff. de Capt. & Postl. Eandem tamen Clerici, quamvis tacito ejus nomine, sententiam proponit Sigismundus quidam Lappeus Diss. de Apostoli Pauli ad Jus Romanae Civit. provocatione, edita Marburgi Anno 1717. Qui cum Heinsii sententiam magna verborum ostentatione & animi confidentia refellere aggressus esset, & Spanhemii ferculum satis liberaliter adposuisset, tandem illos *Anticyram* navigare jubet. Sed, quin eos praeverterit, nullus dubito, quod si aliter se habeat,

por-

porcum Laribus immolare suadeo, ut parcius haec tantis Viris objicere discat.

III. Varias hic proposuimus Virorum Eruditorum sententias, quorum certe firmiores essent Copiae, ni ipsi inter se Duces dissentirent; donatam censet Grotius, emtam Gronovius, & non obscure Spanhemius, Manumissione acceptam Clericus. Sed duas potissimum priores conjecturas, si liceat, paulo latius inspiciamus: Neque quis me audaciæ incuset, si ea, quae adhuc ab omnibus, quantum sciam, probata sunt, examinare & condemnare audeam. Cum aliis persuadere non valeam, tentasse tamen juvabit. Civitatem Romanam saepius donatam, saepius venditam fuisse negari non potest. A primis enim Urbis incunabulis ad Romanam Civitatem aditus peregrinis patuit; quod sapientissimo saepe fecerunt instituto, ut ita Urbs incolis abundaret, quamobrem etiam hanc Romanorum consuetudinem laudibus effert Dion. Halic. in Excerp. Peir. p. 528. Sic primus Urbis Conditor eodem die & hostes & victos & Cives vidit Sabinos. Flor. libr. I. cap. I. deinde sub Coss. Livius libr. II. cap. XVI. *Pro magna re suadere dixit, ut ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si Patres censuissent, Civitas daretur.* Et libr. XXVII. cap. V.

Mu-

Mutines etiam Civis Romanus factus: rogatione ab Tribuno Pl. ex auctoritate Patrum ad plebem lata. Val. Max. libr. V. cap. II. ex. 8. *Duas etiam Camertium Cohortes mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie adversus conditionem foederis Civitate donavit.* Videatur quoque elegans fragmentum Polybii apud Strab. libr. VI. Geogr. p. 439. Gruter. in Inscr. p. DLXXIII. num. 1.

IPSIS LI-
BERIS. POSTERISQUE. CIVITA-
TEM. DEDIT. ET
CONUBIUM. CUM. UXORI-
BUS. QUAS. TUM. HA-
BUISSENT.
CUM. ESSET. CIVITAS.
IS. DATA.

Vide ib. num. 2. & 3. Erat hoc fere in potestate Praesidum Provinciarum, & eorum, penes quos summum erat imperium, ut, quem vellent, Civitate Romana donare possent. Cicer. libr. II. in Verr. cap. VII. *Hic est Dio, Judices, nunc beneficio Q. Metelli Civis Romanus factus.* Metellus Praetor tum fuerat Siciliae, ut patet in eadem Orat. cap. III. Macrobius libr. II Sat. cap. III. *Cum donasset Pompejus transfugam Civita-*

vitate Romana: Hominem bellum inquit (Cicero) *Gallis promittit Civitatem alienam, qui nobis nostram non potest reddere.* Vel etiam totus Populus Romanus id faciebat. Vell. Pat. libr. II. cap. XVI. §. 3. *Cujus pietati plenam Populus Romanus gratiam retulit; ipsum viritim Civitate donando.* Frequens admodum posterioribus temporibus fuit, cum ad ipsum etiam imperium peregrinis aditus daretur, cumque in Curiam reciperentur, teste Suet. in Caesare cap. LXXIII §. 8. Qua de re canit Rutil. libr. I. Itin. ℣. 13.

Religiosa patet peregrinae Curia Laudi
Nec putat externos, quos decet esse suos.

Postea constitutione Antonini Caracallae omnes, qui in Orbe Romano erant, Cives Romani effecti sunt. l. 17. ff. de Statu Hom. Ex quo intelligi debet Claudian. libr. III. in Laud. Stil. ℣. 150.

Haec est, in gremium victos quae sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit
Matris, non dominae ritu, civesque vocavit,

Quos

τὴν Πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. *Ego multa pecunia Civitatem hanc comparavi.* Et sic existimandum est de plerisque saltem Judaeis, qui in Asia agebant, Civesque Romani erant, quorum passim mentio fit in Josephi Decr. Asiat. & Rom. ut p. 6. 8. 10. &c. Hi tamen Judaei optimo jure Cives Romani non erant, cum is, qui eo jure Civis esse volebat, inter cetera etiam Romanorum sacra sequi debuerit, quod tamen neque in Municipiis obtinuit, quibus eadem de causa optimo jure non concessa fuit Civitas. Sigon. de Jure C. R. libr. I. cap. VIII. Hinc *Municipalia Sacra*, teste Festo in ea voce, *vocabantur, quae ab initio habuerunt ante Civitatem Romanam acceptam, quae observare eos voluerunt Pontifices, & ex eo more facere, quo adsuessent antiquitus.*

IV. Vidimus saepissime datam fuisse Civitatem, aliquando etiam venditam, adeoque fieri potuisse, ut Pauli Parentes vel donatione vel emtione exstiterint Cives Romani. Verum, ut mittam, Spanhemium, Gronovium aliosque, aeque ac eos, quorum exploserunt sententiam, fide dignum testem, vel probabilem saltem causam non attulisse, ex quibus ostendant, Pauli Patrem Civitatem Romanam pecunia sibi comparasse, vel etiam a Romanis

dono accepisse (Graecorum enim, quae proferunt, Scholiis tuto fides haberi non potest.) Ut haec, inquam, mittam, firmissimum, nisi omnino frustra sim, contra eorum sententiam praebent argumentum ipsa Pauli verba Actor. cap. XXI. comm. 39. Εἶπε δὲ ὁ Παῦλος· Ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι Ἰουδαῖος Ταρσεὺς τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. *Dixit vero Paulus: Ego quidem homo sum Judaeus, Tarsensis, Ciliciae non ignobilis civitatis civis.* Testatur hic loci Paulus, Civem se esse cujusdam in Cilicia Urbis, per quam Tarsum intelligendam esse, quivis facile videt, unde passim Tarsensis vocatur Paulus. Ut in Act. Apost. cap. IX. comm. 11. Natus enim erat Paulus Tarsi. Act. cap. XXII. comm. 3. Et ibi fuit Civis, non, ut tradit Hieron. de Script. Eccl. cap. V. ex oppido Gischala originem duxit, quo a Romanis capto, cum Parentibus Tarsum commigravit. Recte id refellit Baron. in Ann. Eccl. ad Ann. Ch. XXXVI. p. 263. Si ergo Tarsi, seu, quod idem est, cujusdam Ciliciae Urbis Civis fuerit Paulus, quo quaeso modo Civitatem Romanam sibi vindicare potuit: Legibus enim Romanis aliquis Romae & in alia simul urbe Civis esse non poterat, nisi in Municipiis, cum eo jure, quod esset Civis illius Municipii etiam

etiam esset Civis Romanus. Exemplo res fiet clarior. Attico Civi Romano, cum Athenis ageret, oblatum fuit illius Civitatis jus, quo tamen uti noluit, eam ob rationem, quoniam, si Atheniensium Civitatem acciperet, perderet Romanam, ex ea Juris Civilis Romanorum Regula: *Amitti Civitatem Romanam, alia adscita.* Apud Corn. Nep. Att. cap. III. De hac lege ita scribit Cicero pro Balbo cap. XI. *Duarum Civitatum Civis esse nostro Jure Civili nemo potest, non esse hujus Civitatis Civis, qui se alii Civitati dicarit, potest.* Adde l. 5. §. 3. ff. de Capt. & Postlim. *Captivus autem si a nobis manumissus fuerit, & pervenerit ad suos, ita demum postliminio reversus intelligitur, si malit eos sequi, quam in nostra Civitate manere.* Notanter dicit *in nostra Civitate manere*, quod non simpliciter significat habitationem in aliqua urbe retinere, sed Civitas hic est *jus Civitatis*, cujus locutionis exempla apud Latinos passim sunt obvia. Captivus enim ille, manumissione Civis Romanus erat effectus, quod jus amittebat, si se iterum ad suos contulisset. Quo referenda sunt verba sequentia: *Et ideo in quodam interprete Menandro, qui, posteaquam apud nos manumissus erat, missus est ad suos, non est visa necessaria lex, quae lata est de illo, ut maneret*

Civis Romanus. Nam sive animus ei fuisset remanendi apud suos, desineret esse Civis: Sive animus fuisset revertendi, maneret Civis: & ideo lex esset supervacua. Dicit Pomponius, non necessariam fuisse legem, nam si hic Menander, ex servo factus Civis Romanus, voluisset apud suos manere, ipso jure amisisset Civitatem Romanam, quoniam duarum Civitatum Civis esse non posset: Si autem ei Romam revertendi animus esset, non necesse erat, ullam hac de re legem ferri, quoniam esset & maneret Civis Romanus. Sic de militibus Romanis, quos Gabinius Alexandriam adduxerat, & apud Ptolemaeum Regem reliquerat (Caesar libr. III. Civ. cap. CIII. §. 5.) quique ibi remanserant, & cum Aegyptiis sese conjunxerant, jamque pro Aegyptiis sese gerebant, scribit Caesar libr. III. Civil. cap. CX. §. 2. *Hae constabant ex Gabinianis militibus, qui jam in consuetudinem Alexandrinae vitae, atque licentiae venerant & nomen disciplinamque Populi R. dedicerant, uxoresque duxerant, ex quibus plerique liberos habebant.* Hi enim cum se in Alexandrinam urbem contulissent, & nomen moresque patrios reliquissent, Romanam Civitatem amiserant. Erant enim in hac urbe, ut inferius scribit Caesar, *ca-*

pitis

pitis damnatis, exsulibus fugitivisque omnibus certus receptus.

V. Illi itaque, qui in Civitatem Romanam recepti erant, suam Civitatem relinquere debebant, nec juris quidquam in Civitate, in qua nati erant, retinere poterant. Hinc *mutare Civitatem* dicitur is, qui in Romanam transit apud Cicer. pro Balbo cap. XIII. *Quibus ex Civitatibus nec coacti essent Civitatem mutare, si qui noluissent: nec, si qui essent Civitatem nostram beneficio P. R. consecuti violatum foedus eorum videretur.* Et cap. XXIII. *Multi in Civitatem recepti ex liberis foederatisque populis sunt liberati: nemo unquam est de Civitate accusatus, quod aut populus fundus factus non esset, aut quod foedere Civitatis mutandae jus impediretur.* Eadem locutio occurrit cap. XVIII. Et eo modo *Civitatem suam relinquere.* Idem pro Balb. cap. XIV. *Ignosco tibi, si neque Poenorum jura calles, reliqueras enim Civitatem tuam, neque nostras potuisti leges inspicere.* Erat enim Balbi accusator, de quo Cicero agit, Civis Romanus, qui Civitatem Gaditanam, quae erat Colonia Poenorum, reliquerat, ut patet ex cap. X. ejusd. Orat. Huc referri meretur locus Livii libr. XXIII. cap. XXXI. ubi trecenti Equites Campani, qui cum Romanis in Sicilia meruerant, nec urbi

puae, quae in fide Romanorum non manserat, suppetias tulerant, ita querentes inducuntur: *Quod, quorum hominum essent, scire se ipsi negabant, vetere patria relicta, in eam, in quam redierant, nondum adsciti.* Sic quoque verbo *transire* usi sunt hac in re Latini. Tacitus II. Ann. cap. XXIV. *Tum solida domi quies, cum Transpadani in Civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terrae legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Non poenitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes Viros ex Gallia Narbonensi transivisse.* Similí ratione *fuisse* alicujus urbis *Civis* dicitur is, qui in Romanam transivit. Sic Ennius in Fragm. p. 144.

Nunc sumu' Romanei, qui fuvimus ante Rudenei.

Ennium ipsum de se hunc versum protulisse conjicit verisimiliter Lipsius libr. V. Ant. Lect. cap. II. Conferenda de hac antiquitate est tota Ciceronis Oratio pro Balbo & posterior pars Orationis pro Caecina, quas qui unquam inspexerit, dubitare hac de re nullo modo poterit: plurima ex iis, ut & ex aliis, ad hanc rem spectantia attulerunt Hottom. ad Cicer. pro Arch. cap. III. Perionius de Graec. & Rom. Mag. libr. I. p. 2776. tom. VI. Ant. Gron. Govea-

veanus Var. Lect. Jur. Civ. cap. VI. Salm. Obs. ad Jus Att. & Rom. cap. XXVI. Sigon. de Jure Civium Rom. libr. I. cap. II. & ad Nepotem Att. cap. III. Bosius. Et ipse hoc docuerat Spanh. in Orbe Rom. Exerc. I. cap. V. Sub posterioribus tamen Principibus licuit in quavis alia urbe Civitatem habere, (non tamen, ut videtur, sine speciali Principis permissu.) Conferatur Rupertus in vere aureo Enchiridio ad Pompon. libr. I. cap. I. Scribit ad Plinium Trajanus libr. X. Ep. XXIII. *Civitatem Alexandrinam secundum institutionem Principum non temere dare proposui: sed cum Harpocrati Jatraliptae tuo jam Civitatem Romanam impetraveris, huic quoque petitioni tuae negare non sustineo.* Sed haec ita agebantur iis temporibus, cum disciplina Romanorum in pejus rueret, nec amplius moribus antiquis staret Respublica.

VI. Ex hac consuetudine illustrari debet exsilium apud Romanos; nam cum invito adimere Civitatem non liceret, (Cic. pro Domo cap. XXIX.) tantum ei, quem ejicere ex urbe volebant, aqua & igni interdicebant, &, ne quis eum tecto reciperet, cavebant. (Plut. Mario p. 423. Edit. Par. 1624.) Necessarium tum ille habebat se ex urbe conferre, nec antea Civitas ei adimebatur, quam in aliam esset receptus.

Cic. pro Caec. cap. XXXIV. *Non admittitur his Civitas, sed ab his relinquitur atque deponitur. Nam cum ex nostro jure duarum Civitatum nemo esse possit, tum amittitur haec Civitas denique cum is, qui profugit, receptus est in exsilium, hoc est, in aliam Civitatem.* Simul ac autem receptus esset, jus omne Civitatis & Privilegia amittebat, ex quo explicari debet Quinctil. libr. VII. Inst. Orat. c. I. cum scribat, *lex ad exsules nulla pertinet*, id est, exsul amittendo Civitatem sese Romanis legibus & privilegiis tueri non potest, nec iis uti. Et ita facile carere possumus explicatione admodum quaesita Sam. Petiti libr. II. Obs. cap. V. Ex hoc etiam fonte Cicero in Orat. pro Domo cap. XXX. deducere conatur, se in exsilio Civitatem non amisisse, quia nullibi erat receptus. Eo respicit ICtus Cajus libr. I. tit. VI. §. 1. *Item de potestate Patris exeunt filii, si Pater eorum in exsilium missus fuerit: quia non potest filium Civem Romanum in potestatem habere homo peregrinae conditionis effectus.* Ubi inspici meretur Jurisprudentiae Romanae Decus Schultingius, ut & Ulricus Huberus part. I. Digr. libr. III. cap. VIII. Joachimus Stephanus de Jurisd. Vet. Gr. cap. XII. Abram. ad Cic. pro Sext. cap. XXXIV. & pro Balbo cap. XI. Manut. de Leg. cap. XIX.

XIX. Pollet. in Foro Rom. libr. V. cap. XIX. p. 565. Spanh. in Orbe Rom. Exerc. I. cap. V. & quos laudavit Cel. Dukerus ad Flor. libr. III. cap. XVI. §. 2.

VII. Haec pluribus persecuti sumus, & fortasse nimis liberaliter: verum si procedat haec argumentatio, nullius momenti, si tantis Viris ea objicere liceat, erit Spanhemii Gronoviique sententia, cum Paulus non simul Tarsensis & Romanus potuerit esse Civis. Sed frustra erit hac in parte tota mea disceptatio, si vera sint ea, quae notat Zegerus ad Act. cap. XXI. comm. 39. Οὐκ ἀσήμου Πόλεως Πολίτης. *Non ignotae Civitatis Municeps, id est, non ignobilis Civitatis, nimirum Tarsensis, Civis. Posset tamen & de Roma Civitatum nobilissima id dictum accipi, cujus Apostolum Municipem fuisse constat.* Haec ille. At quo referet verba τῆς Κιλικίας? certe in Cilicia frustra Romam quaesierit, & quid erit Romam totius Orbis caput vocare non ignobilem urbem. Οὐκ ἄσημος πόλις dicitur de urbe clara satis, de urbe alicujus regionis Metropoli, non de urbe totius terrarum Orbis praecipua & celeberrima. Sic jucundus, & in quo animus a majoribus curis fatigatus recreetur non indignus Scriptor Achill. Tat. libr. VIII. Erot. p. 465. Ἐλεύθερός τε ὢν, καὶ πόλεως οὐκ ἀσήμου. *Homo liber*

liber & non obscurae urbis Civis. Verba sunt Clitiphonis, qui ex Urbe Tyro originem ducebat, ut ipse testatur libr. I. Erot. p. 11. Tyrus autem erat Metropolis, ut evicit Ill. Spanh. de Usu Num. Diss. IX. p. 588. Unde πρώτη *prima* vocatur, qua voce saepe insigniuntur Regionis alicujus primariae Urbes. Passim hujus significationis obvia sunt exempla in Spanhemio de Usu Num. eoque modo explicari potest ea vox in Act. Apost. cap. XVI. comm. 12. Πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας. *Metropolis illius partis Macedoniae.* Quamvis πρώτη & *Metropolis* aliquando sint diversae alicujus Urbis appellationes, uti observat Spanh. in O. R. Exerc. II. cap. XII. p. 356. In nummis passim etiam distinguuntur. Sic in ipsa Tarso, cujus numisma est in Sylloge Numism. Antiquorum p. 17. Πρώτη autem Tyrus dicitur apud Eunap. in Porphyrii Vita p. 13. Πορφυρίῳ Τύρος μὲν ἦν πατρὶς ἡ πρώτη τῶν ἀρχαίων Φοινίκων ἡ πόλις. Καὶ Πατέρες δὲ οὐκ ἄσημοι. *Porphyrio Tyrus erat Patria, prima priscorum Phoenicum urbs. Parentes autem non ignobiles.* Quod dicit Auctor Parentes Porphyrii fuisse οὐκ ἀσήμους indicat non ignobili eum genere natum, nec tamen ex Principibus illius Civitatis fuisse. Sic Josephus initio Vitae suae tradit, *sibi genus esse*

οὐκ

οὐκ ἀσήμου. Palaeph. de Incred. cap. XXIII. Βορέου παῖδες, ἀνδρὸς οὐκ ἀσήμου. *Boreae filii, Viri non incelebris.* Ex hisce facile colligi puto, quam infirmo, ne gravius dicam, Zegeri sententia nitatur talo.

CAPUT III.

Argumentum.

I. 2. *Male Pauli Civitatem ad tempora Claudii refert Spanh.* II. 3. *Refelluntur Viri D. quia Paulus nunquam Romae fuisse videatur, ut censum profiteretur, quod tamen facere debebant ii, qui proprio jure Cives essent.* III. *Quamvis hoc posterioribus temporibus non necesse fuisse existimet Perizonius, cujus argumenta examinantur.* IV. *Municipia suos habebant Censores.* V. *A quibus tamen Cives R. in Provinciis non censebantur.* VI. *Quare tutissimum videtur existimare, eos, qui proprio jure essent Cives, Romae censum professos fuisse, quod cum Paulus non fecerit, non potuit eo jure esse Civis.* VII. 4. *Caesares quidem pluribus privatis Civitatem Romanam dederunt.* VIII. *Sed illi debebant nomen peregrinum in Romanum mutare.* IX. *Quod*

Quod tamen Paulus, qui olim Saulus vocabatur, non fecit, ergo alio jure Civis esse debuit. X. *Nec obstat Ciceronis locus, cum licuerit Civibus Romanis in Provinciis morari.*

§. I. His, quae superiori sectione contra Spanhemium aliosque disseruimus, accedit etiam, Virum Ill. hanc Civitatem Pauli referre *ad Claudianorum temporum avaritiam*, cum pretio esset parabilis Romana Civitas. Historia quidem, quae refertur Act. cap. XXII. Imperante Claudio accidit; sed in ea dicit Paulus, se Civem Romanum natum esse, igitur necessario sequi debet, Patrem Pauli sibi jam pecunia Civitatem Romanam comparasse. At quo tempore? Certe sub Augusto vel etiam ante eum. Nam Paulum sub Augusto natum esse, praeter alia colligi potest ex eo, quod illo tempore, quo Stephanus lapidibus fuit obrutus, νεάνιος vocatur. Actor. cap. VII. comm. 58 Νεάνιον autem esse Juvenem XXV. vel XXX. admodum annorum docuerunt hac eadem in re Viri Cel. van den Honert in libro, cui titulus voorberyding tot opening van Paulus Brief aen de Romeynen p. 114. & Hottingerus Diss. Bibl. V. Sect. V. §. 13. Stephanus autem ex veriori sententia anno primo

vel

vel certe ſecundo poſt Chriſti reſurrectionem primus veritatis Chriſtianae teſtis mortem oppetiit. Chriſtus autem ex morte in vitam revocatus eſt Anno XV. poſtquam faſces Romani Imperii in Tiberium tranſlati erant. Ex his ergo conficitur facile, jam ſub Auguſto natum fuiſſe Paulum, & ſub eo veriſimiliter Patrem ejus jus Civitatis emiſſe ſeu accepiſſe. At Auguſtus ſolitus fuit Civitatem parciſſime dare, multo minus vendere. De quo Suet. Aug. cap. XL. *Magni praeterea exiſtimans ſincerum atque ab omni colluvione peregrini ac ſervilis ſanguinis incorruptum ſervare populum, & Civitatem Romanam parciſſime dedit, & manumittendi modum terminavit.* An vero ante Auguſtum vendita ſit Civitas, ego valde dubito, nec hujus rei facile exemplum proferri poſſe exiſtimo.

II. Huc etiam referri meretur, Paulum, ſi ipſo jure Civitatis ornatus fuiſſet, Romae cenſum profiteri debuiſſe. Certe id videtur fuiſſe P. R. inſtitutum, ut ſingulis luſtris Cives Romani praeſentes Romae cenſerentur, ut ita vires ſuas ipſa noſceret Reſp. Cicer. Act. I. in Verr. cap. XVIII. *Non committam, ut tum reî judicetur, cum haec frequentia totius Italiae Roma diſceſſerit: quae convenit uno tempore undique Comitiorum, Judiciorum cenſendique*

que causa. Et idem libr. I. ad Att. Ep. XVIII. *Nam, ne absens censeare, curabo edicendum, & proponendum locis omnibus. Sub lustrum autem censeri Germani Negotiatoris est.* Vell. Paterc. II. cap. XV. *In legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam Colonias posuit; id Majores diligenter vitaverant, ut Cives Romanos ad censendum ex Provinciis in Italiam revocaverint.* Decianum, Romanum Civem, qui in Graecis Civitatibus negotiabatur, in certa tamen tribu Romae censum professum fuisse constat e Cic. pro Flacco cap. XXXII. (Illi enim, qui in Civitatem allecti erant, in quadam etiam tribu collocabantur. Vell. Paterc. libr. II. cap. XX. §. 2.) Ex hoc more censendi explicandus D. Lucas in Euang. cap. II. comm. 4. ubi scribit, Josephum ad Urbem Davidis, quae Bethlehem dicebatur, profectum esse, ut ibi censum profiteretur, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβὶδ, *quod erat ex familia & Patria Davidis.* Nam ut Romani Romae, ita Provinciales quique in sua Civitate censum profiteri debebant. Si vero is casus incideret, ut tum temporis, quo census perageretur, Romae quis adesse non posset, absens videtur potuisse censeri, si ipse jam antea in priores census relatus esset. Tale quid

quid exstat apud Gell. libr. V. Noct. Att. cap. XIX. *Filium adoptivum tam procedere, quam si ex se natum habeat: absentes censere jubere, ut ad censum nemini necesse sit venire.* Verba sunt Scipionis in ea Oratione, quam Censor ad populum habuit. Vide Putean. ad Vell. Paterc. libr. II. cap. XV. Manut. de Civit. Rom. p. 27. & 32. Edit. Graev. Sigon. libr. I. de J. C. R. cap. XIV. & Spanh. in Orbe Rom. Qui vero censum professi non erant, libertatem amittebant. Cic. pro Caecin. cap. XXXIV. *Cum autem incensum vendit, hoc judicat: cum is, qui in servitute justa fuerit, censu liberetur, eum, qui, cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicasse.* Ubi post Dion. Halic. libr. IV. cap. XV. conferendus est Hottom.

III. Clarissimo quidem Perizonio in Diss. de Lege Voconia p. m. 184. cui accedit Graevius ad Cicer. libr. I. in Verr. cap. XLI. non videtur, postquam Perseus Rex victus, & capite censi sacramento adacti sint, ulla amplius necessitate Romanos ad censendum coactos fuisse, & proinde etiam saepe censum neglexisse. Hoc firmat ex Cicer. pro Archia cap. V. *Census nostros requiris scilicet* &c. Sed si nulla necessitate ad censendum adigerentur Romani, non videntur accusatores Archiae

Archiae adeo plumbei & inſcii fuiſſe, ut cenſus requirerent, ſi cenſus ad jus Civitatis nihil faceret, neque redderet cauſas Cicero, cur cenſus Archias non eſſet, *quoniam* ſcilicet *apud exercitus fuiſſet*, ſed potiori jure adverſariis ignorantiam & inſcitiam objeciſſet. Nec ipſe quidem exiſtimo, cenſum dare Civitatem, de qua re ibi potiſſimum agit Cicero, ſed, ut ejus verbis utar, *tantummodo indicare, eum, qui ſit cenſus, ſe pro Cive geſſiſſe*; ex quo contrarium efficitur, *indicare eum, qui non ſit cenſus, ſe pro Cive non geſſiſſe*, adeoque neceſſe eſſe, ut cenſeatur is, qui ſe pro Cive gerere velit. Neque Perizonio ſuppetias fert Dion. Halic. libr. IV. cap. XV. ubi tradit, *legem hanc Servii de cenſu Romanos diu obſervaſſe.* Quae verba ad totam Servii legem referenda putem, non cum Viro Cel. ad ultima verba de venditione incenſi. Lex enim illa diu a Romanis ſervata, poſtea tamen variis mutationibus obnoxia fuit, ſic ex. gr. primo tempore *Reges* cenſum peregerunt. Val. Max. libr. III. cap. IV. exempl. 3. Mox *Conſules.* Pompon. in §. 17. ff. de Orig. Jur. Dein *Cenſores.* Immo ex Cicer. colligitur, ejus tempore hanc venditionem nondum in deſuetudinem abiiſſe pro Caec. cap. XXXIV. *cum incenſum vendit*, praeſenti

senti ut loquuntur Grammatici, tempore. Ulpian. tit. XI. de Tutelis §. 11. *Maxima capitis diminutio est, per quam & Civitas & libertas amittitur, velut cum incensus aliquis venierit.* Vide etiam tit. ff. de Censibus, & Sigon. libr. I. de J. C. R. cap. XIV.

IV. Municipiorum autem aliarumque Civitatum Cives non necesse habebant ad Urbem proficisci, Romaeque Censum profiteri, cum ipsi suos habuisse videantur Censores, a quibus solennitas illa peragebatur. Cicer. libr. II. in Verr. cap. LIII. & cap. LVI. *Quinto quoque anno Sicilia tota censetur. Erat censa Praetore Peducaeo. Quintus annus tum te Praetore incidisset. Censa denuo est. Postero anno L. Metellus mentionem tui Census fieri vetat: Censores dicit de integro sibi creari placere.* Et hi sunt *Censitores Provinciae Siciliae* apud Cassiod. libr. IX. Var. Epist. XI. Similia occurrunt apud Gruter. in Corpore Inscr. p. CLXXI. n. 8. & CDXVII. n. 5. CENSITOR PROV. LUG. & MXXV n. 2. CENSITOR PROVINCIAE LUGDUNENSIS. Hinc *tabulas* Municipiorum memorat Cicero pro Archia cap. IV. & V. Et hi omnes in suis Urbibus censebantur. Liv. libr. XLII. cap. X. *Qui Socii Latini Nominis ex edicto C. Claudii*

Consulis redire in Civitates suas debuissent, ne quis eorum Romae, sed omnes in suis Civitatibus censerentur. Nec tantum Municipia, verum etiam Coloniae suos habuerunt Censores. Quorum est mentio apud Grut. p. CDXXXIX. n. 5.

CENSITOR. CIVIUM.
ROMANORUM. COLONIAE.
VICTRICENSIS.
QUAE. EST. IN. BRITANNIA.
CAMALODUNI.
CURATOR.

Cui adde Sigon. libr. II. de Ant. J. Ital. cap. IV. Et Virum Cl. Othonem Diss. de Consul. extra Romam cap. I. §. 4. De *Provinciis* confer Lips. ad Tac. libr. I. Ann. exc. K. Periz. in Aug. Orb. Descript. & Rupertum in Enchir. ad Pompon. de Orig. Jur. libr. II. cap. III. in fine.

V. Quod autem scribat Pighius tom. I. Ann. p. 166. *Creatos esse in Civitate quavis duos Censores, qui Civium Rom., quantus ubique cum in Urbibus, tum in Exercitibus numerus esset, in tabulas publicas referrent*, in eo me non habet sibi adsentientem, cum ipse Cicero rationem, quamobrem Archias census non fuerit, hanc referat: *Proximis Censoribus cum Clarissimo Imperatore L. Lucullo*

cullo apud exercitum fuisse, superioribus cum eodem Quaestore fuisse in Asia. Orat. pro Arch. cap. V. Si ergo exercitus extra Italiam a Censoribus Provincialibus censerentur, cur Cicero hac utitur exceptione, quod census non fuerit Archias. Praeterea opinionem hanc firmat, cum narret Livius libr. XXIX. cap. XXXVII. *Per Provincias Censores dimisisse, ut Civium Rom. in exercitibus, quantus ubique esset referretur numerus.* Si autem Exercitus in Provinciis censerentur, nulla satis apta excogitari poterit ratio, cur potissimum per Provincias dimiserint Censores, ut Civium Romanorum perageretur Census. Clarissime quoque patet ex Cicerone libr. I. ad Att. Epist. XVIII. loco jam laud. ubi dicit: *Germanos Negotiatores sub lustrum* Romae *censeri.* Si hi homines potuissent in Provinciis censeri, cur omnes se Romam contulerint ad Censum, causam nullam video.

VI. Verum, ne diutius tempus hac in re teramus, ego sic existimo, Cives Romanos, qui proprio jure Civitatis gauderent, quique in exteris terris morarentur, singulis lustris, nisi gravissima obstaret causa, Romam profectos fuisse, & ibi nomen professos. Quod ut magis credam facit ingens saepe multitudo, quae censa scribitur, ut sane vix credi posset, eos

Romae habitasse, nisi sub illis etiam contineantur hi, qui in exteris terris degebant. Videantur Rualdi Anim. in Plut. cap. XXIV. Si igitur is, qui proprio jure Civis esset Romanus, debuerit Romae Censum profiteri, quomodo Paulus aut ejus Parentes vel donatione vel emtione potuerunt esse proprio jure Cives Romani, cum nec vola nec vestigium exstet, Paulum antea Romam adiisse. Quod si nunquam fecerit, sequitur, si vel maxime olim fuisset Civis, Civitatem eum amisisse, cum census non fuerit. Nonne praeterea Caesar etiam Legem tulerat, ne quis Civis Romanus per tres continuos annos extra Italiam moraretur? Ita certe apud Suet. Caes. cap. XLII. *Sanxit, ne quis Civis major annis viginti, minorque decem, qui Sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset.* Quod intelligendum de his, qui proprio jure Cives Romani erant, non de Municipiis; cum aliquis jure Municipii Civis esse potuerit, licet Italiam nunquam vidisset.

VII. Neque recte adferunt Viri Docti Caesarem privatis pluribus Civitatem dedisse, nam id argumentum facile in ipsos Auctores converti potest. Dicunt, Caesarem tum Julium tum Augustum Civitatem dedisse exteris, inter quos etiam esse potue-

tuerunt Pauli Parentes. Gronovius idem de venditione ſcribit, multos Judaeos emiſſe Civitatem, quod facere etiam potuerunt Parentes Pauli. Verum adhuc teſtimonium veteris ſcriptoris deſidero, ex quo pateat, hanc Civitatem ita datam ſeu venditam eſſe privato cuidam, ut liceret, quamvis Civis Romanus eſſet, in ſua tamen Urbe Civitatem retinere, nec Cenſum profiteri aut nunquam Romam adire. Non deſunt quidem exempla Caeſarem privatis Hominibus Civitatem dediſſe. Teſtatur id, praeter loca a Spanh. allata in O. R. Exerc. I. cap. XIV. etiam Cic. Orat. II. Phil. cap. XXXVI. *Neque ſolum ſingulis veniebant Immunitates, ſed etiam populis univerſis, Civitas non jam ſingillatim, ſed Provinciis totis dabatur.* Sed ideo dabat Caeſar, referente Suet. in Ejus Vita cap. XLII. *Ut libentius exteri Urbem incolerent, & ceteri appeterent.* Non ut Civitate accepta ex ea manerent, nec unquam adirent. Quamvis non deſint exempla, Civitatem extraneis donatam, qui tamen domicilium in Urbe non videntur collocaſſe. Tale quid occurrit apud Cicer. libr. XI. Fam. Epiſt. XXXVI. *Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo Civitatem à Caeſare impetravit;*

qua in re ego interfui. Itaque nunc Publius Cornelius vocatur. Hoc loco nulla mentio eſt Civitatis, quam antea Megas habuiſſet, & ſi vel maxime habuerit, quod veritati magis conſentaneum videtur, relinquere debuit, ſimul ac Civis Romanus effectus fuit. Praeterea hic facile Cenſus profiteri potuit, utpote qui in Sicilia Italiae propinqua Inſula domicilium haberet, ex qua commodiſſimus in Italiam erat tranſitus. Cic. libr. II. in Verr. cap. III. Occurrit praeterea in eadem Epiſt. *Tabula, in qua nomina Civitate donatorum inciſa erant.*

VIII. Sed ex hoc Ciceronis loco novum contra Spanh. alioſque peti poteſt argumentum. Vocabatur hic Ciceronis amicus Demetrius Megas, verum poſtquam Civitate Romana donatus fuit, nomen etiam, quod exterum erat, mutavit, & Romanum adſumſit. Videntur enim ii, qui Civitate Romana donabantur, eodem modo ac Liberti nomen & pronomen ejus adſumſiſſe, cujus auxilio Civitatem adepti erant, ne cum Barbaris etiam ipſa barbara nomina adſciſcerentur; Romani enim Cives *nominibus* & *Cenſu* ab aliis diſtinguebantur, teſte Aſcon. ad Cicer. Prooem. Act. in Verr. cap. VIII. p. 52. Quod dixi de mutatione nominis patet e Cic. libr. II. in Verr. cap. VIII. *Quid ego nunc Sexti Pompeji Chlori teſtimonium recitem, qui cauſam*

ſam egit Dionis? hominis honeſtiſſimi, tametſi Civis Romanus virtutis cauſa jam diu eſt, tamen omnium Siculorum primi ac nobiliſſimi? Quid ipſius Q. Caecilii Dionis, hominis probatiſſimi & pudentiſſimi. Hic duo habemus hujus rei exempla. Primus eſt Chlorus, qui a Sext. Pompejo Civitatem acceperat, alter a Q. Caecilio Metello, ut patet ex eadem Orat. cap. VII. Idem deduci poteſt e Caeſare libr. I. de B. G. cap. XLVII. §. 4. *Commodiſſimum viſum eſt C. Valerium Procillum, C. Valerii Caburi filium, ſumma virtute ac humanitate adoleſcentem (cujus Pater a C. Valerio Flacco Civitate donatus erat) . . . ad eum mittere.* Hic Caburus nomen & praenomen *C. Valerii* ſuſcepit, quod ab eo in Civitatem receptus erat. Vel nomen quodcunque vellent Romanam adſumebant, uti colligitur e Cicer. libr. XIII. Fam. Ep. XXXV. *C. Avianus Philoxenus antiquus eſt hoſpes meus, quem Caeſar meo beneficio in Novocomenſes retulit. Nomen autem Aviani ſecutus eſt, quod homine nullo plus eſſet uſus quam Flacco Aviano.* Livius libr. II. cap. XVI. *Namque Atta Clauſus, cui poſtea Claudio fuit Romae nomen, ab Regillo magna Clientium comitatus manu, Romam transfugit. His Civitas data.* Unde & illi, qui e peregrinis Gentibus in Civitatem Romanam adoptati erant, Ro-

manorum nominibus insigniuntur. Ita apud Hirtium in B. Afric. cap. XXVIII. § 2. *Forte incidit in navem, in qua erant duo Titi Hispani adolescentes, Tribuni Legionis V. quorum Patrem Caesar in Senatum legerat.* Videatur hac de re Magnus Antiquitatum Conquisitor Sigonius de Nomin. Rom. cap. III. in fine, Onuph. Panvin. de Nom. Rom. p. 2046. Edit. Graev. tom. II. Ant. Paullus Manut. in Argum. Orat. Cicer. pro Balbo & ad libr. XIII Fam. Epist. XXX. Freinsh. ad Flor. libr. III. cap. XXI. § 16. Haec autem, quae jam de nominibus Civitate donatorum disseruimus, ad Paulum nostrum transferamus.

IX. Nomen Pauli, quod ante conversionem habuit, (nam de eo tantum nobis agendum erit, cum Paulus fuerit natus Civis Romanus) erat *Saul*, Hebraeis quidem & Benjamenitis proprium, a Civibus vero Romanis omnino alienum. Hotting. Diss. Chronol. V. §. 4. Nec statuendum cum quibusdam, ut Erasmo ad Epist. ad Rom. cap. I. comm. 1. quamvis satis timide, Apostolum nostrum simul *Paulum* & *Saulum* dictum fuisse, & ab initio duo haec nomina habuisse, quam sententiam jure suo eruditissime refellit Vir singularis diligentiae Witzius Melet. Sect. III, §. 14. Si itaque Pauli Parentes vel emtione

ne vel donatione fuissent Cives Romani, Paulus cum Civis Romanus esset, etiam Romanum nomen ferre debuisset. Sed quid reponi mihi possit video; eos scilicet, qui ita nomen suum mutarent, antiquum nomen pro cognomine retinuisse, ideoque *Saul* fuisse cognomen Apostoli nostri Patrium, cum nomen & praenomen fuerit Romanum. Sed si Paulus tria habuisset nomina, certe aliqua horum mentio fieret vel in Sacr. Litt. vel apud primaevos Ecclesiae Patres, nec in Epigraphis litterarum videtur haec praetermissurus fuisse. Praeterea statuunt Eruditi, Apostolum nostrum, nomen *Sauli* in *Pauli* permutasse, quoniam *Sauli* nomen apud exteras gentes, inter quas versari debebat, incognitum erat. Hanc sententiam profitentur summus Grotius ad Act. cap. XIII. comm. 9. Ludov. de Dieu in Epist. ad Rom. cap. I. comm. 1. Witsius in Melet. Leid. Sect. III. p. 49. Vitringa libr. III. Obs. cap. III. §. 18. Et Clarissimum quondam hujus Academiae Ornamentum Roëll in Epist. ad Ephes. cap. I comm. 1. p. 40. Quibus addi merentur, quos laudat Solidissimus Alphenius Prol. in Epist. II. ad Corinth. cap. I. §. 4. Cur autem nomen suum mutasset, si duo alia Romanis cognita nomina habuisset, quibus potius usus

 fuis-

fuisset, ne tam facile absque causa Patrium nomen rejicere videretur, & ea re Judaeos offenderet.

X. Neque obstat, quod in Epistola XXXVI. Cic. libr. XIII. Fam. Megas dicatur Siculus, & in Sicilia habitasse, cum ex eo concludi non oporteat, eum in urbe quadam Siciliae Civem permansisse. Siquidem licebat iis, qui vel eo, vel quocunque demum modo Civitatem Romanam adepti essent, in aliis Provinciis habitare, & ibi sedes ac domicilium collocare Cic. libr. II. in Verr. cap. III. & VI. Caesar libr. II. Bell. Civ. cap. XIX. §. 2. *Quo edicto tota Provincia pervulgato, nulla fuit Civitas, quin ad id tempus partem Senatus Cordubam mitteret, nullusque Civis R. paulo notior, quin ad diem conveniret.* & libr. III. B. C. cap. CII. §. 2. *Erat edictum Pompeji nomine Amphipoli propositum, uti omnes ejus Provinciae juniores Graeci Civesque Romani jurandi causa convenirent.* Inspice etiam ad Libri VII. B. G. cap. III. Dion. Voss. Hi erunt *Conventus Civium Romanorum*, quales saepe in Provinciis memorantur, qui sunt *Civitates, ad quas Cives Romani convenire solent agendae suae aut publicae rei causa.* Quae verba sunt Asconii Paed. ad Cicer. Libr. II. in Verr. cap. XIII. In iis enim agebant hi, qui ipso Civitatis jure

gau-

gaudebant, unde *Colonias* & *Conventus* distinguit Hirtius B. Alex. cap. LVI. & *Negotiatores* & *Colonias* Cic. pro Fontejo cap. I. quoniam Cives Romani, qui in Provinciis degebant, fere essent Nego atores seu Publicani. Plura Cel. Graevius in Praefat. ad Thes. tom. I.

CAPUT IV.

Argumentum.

I. *Alia sententia proponitur.* II. *In Asia negotiabantur Judaei, qui sibi in variis Urbibus Civitatem parabant.* III. *Quod facere etiam potuerunt Pauli Parentes, interque eas Urbes una forte habuit jus Municipii, quo jure tum facti sunt Pauli Parentes Cives Romani.* IV. *Cui nihil obstat Cicero, sed potius favet. Qui proprio jure e sua Civitate in Romanam transirent, jus cognationis amittebant.* V. *Alter modus, quo Paulus Civis esse potuit jure Municipii, cum jus Municipii aliquando quibusdam in aliqua Urbe Familiis fuit datum.* VI. *Quo jure Pauli Parentes potuerunt esse Cives Tarsenses & Romani. Idem discrimen in Coloniis obtinet.*

§. I. Ex

§. I. EX dictis patere puto, Virorum Eruditorum sententias satis infirmo niti talo, & omnino Legibus Romanis adversari. Quare pace tantorum Ingeniorum dixerim, in hanc sententiam pedibus ire non possum ante, quam haec impedimenta sublata sint: interea alia erit excogitanda ratio. Verum dicere, quo jure Paulus fuerit Civis, quaestionemque intricatam, ad quam tanta nomina offenderint, expedire, res in primis ardua est & difficilis, & forte temeritatis crimine notari meretur. At liceat hic conjecturis indulgere, cum alio modo haec quaestio decidi posse non videatur.

II. Satis ni fallor cuivis constat, Asiam antiquo tempore negotiationibus, &, quae eas comitari solent, divitiis admodum celebrem fuisse, unde multi Negotiatores ex Civibus praesertim Romanis in eam se conferebant: ita Civium Romanorum, qui in Ponto negotiati essent, meminit Hirtius Bell. Alex. cap. LXX. § 5. Cic. libr. I. in Verr. cap. XXVII. *Tum Cives Romani, qui Lampsaci negotiabantur, concurrunt.* Et pro Flacco cap. XXIX. Inter eos etiam Judaei, utpote gens divitiarum & opum, si ulla unquam, cupidissima, erant, quales passim occurrunt in Josephi Decr. Asiat. & Rom. Et hos plurimum di-

divitiarum in Asia aliisque P. R. Provinciis corrasisse, quas quotannis Hierosolymam deportarent, testatur Cic. pro Flacco cap. XXVIII. *Cum aurum Judaeorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus vestris Provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret.* Hoc intelligi debet, de auro a Mercatoribus Judaeis collato ex superstitione in usum Sacrorum aliarumque rerum. Hi autem Judaei, ut facilior & tutior sibi negotiatio esset, in aliqua Urbe sibi Civitatem pretio precibus acquirebant; multi se ad Romanos,(de quibus in laud. loco Josephi & apud Gothofr. ad l. 8. C. Just. de Judaeis) alii ad alias Civitates conferebant. Cum autem per totam Asiam negotiarentur, quo omnia faciliora forent, videntur in pluribus simul Urbibus jus Civitatis comparasse. Vidimus quidem sancitum esse legibus Romanis, ne quis Romae & in alia simul Civitate Civis foret, at hoc in aliis extra Romam Urbibus licitum erat, ut in quot vellet Civitatibus aliquis Civis esse posset. Testis est Romanorum juris peritissimus Cicero pro Balbo cap. XII. *Nos non possumus & hujus Civitatis* (Romae) *& cujusvis praeterea: Ceteris concessum est. Itaque in Graecis Civitatibus videmus Athenis Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique ad-*

adscribi, multarumque esse eosdem homines Civitatum. Ubi vide Abram. Et pro Arch. cap. III. *Itaque hunc & Tarentini & Rhegini & Neapolitani Civitate ceterisque praemiis donarunt.* Et cap. IV. *Venit Heracleam, quae cum esset Civitas aequissimo jure ac foedere, adscribi se in eam Civitatem voluit.* Vide & Plutarch de Monarch. p. 826. Ad posteriora tempora pertinet inscriptio apud Reinesium. Cl. XI. num. 4.

C CALPURNIUS. ASCLEPIADES
PRUSA. AD. OLYMPUM. MEDICUS.
PARENTIBUS. ET. SIBI. ET.
FRATRIBUS.
CIVITATES. VII. A DIVO.
TRAJANO. IMPETRAVIT.

Et l. 27. pr. ff. ad Munic. *Ejus, qui manumissit, Municeps est manumissus, non domicilium ejus, sed Patriam secutus. Et si Patronum habeat duarum Civitatum Municipem, per manumissionem earundem Civitatum erit Municeps.* Spanhem. in O. R. Exerc. I. cap. IV. pleraque etiam ex iis, quae allata sunt, adnotavit.

III. Cum igitur fuerit licitum extra Romam in pluribus simul Civitatibus esse Civis, quid obstat, quo minus idem fecisse cre-

credantur Pauli Parentes, ut suis inservirent commodis, & duabus tribusve Civitatibus simul adscripti sint, ex quibus una forte jus Municipii habuit, quo tum jure Pauli Parentes etiam facti sunt Cives Romani. Nullum enim Auctorem reperire potui, qui doceret, vetitum esse in Municipio simul & in quavis alia Urbe Civis esse, neque dubitandum, quin hoc Legibus Romanis permissum fuerit, praesertim cum in Municipiis ratio, quamobrem Romani suos Cives plurimarum Civitatum esse noluerint, cesset, cumque cesset ratio, ipsa etiam Legis dispositio cessare videtur. Namque hoc jus a Romanis institutum est, ne Leges & jura Urbis Romae, cum exterarum gentium Legibus & consuetudinibus permiscerentur. Haec vero ratio non procedit in Municipiis, cum illa fere propriis uterentur Legibus, qua de re superius egimus. Hanc autem hujus Legis ferendae rationem Romanis fuisse docet Cicero pro Balbo cap. XIII. *O Jura praeclara atque divinitus jam inde a principio Romani nominis a Majoribus nostris comparata, ne quis nostrum plus quam unius Civitatis esse posset: dissimilitudo enim Civitatum varietatem juris habeat necesse est.* Id, adducto hoc ipso Ciceronis loco, eru-

eruditissime, ut solet, explicavit Cl. Schultingius ad Ulpian. tit. XX. §. 14.

IV. Sed conturbare nonnihil rationes meas videtur Cicero libr. XIII. Famil. Epist. XXX. *L. Manlius est Sosis. Is fuit Catinensis, sed est una cum reliquis Neapolitanis Civis Romanus factus, Decurioque Neapoli. erat enim adscriptus in id Municipium ante Civitatem Sociis & Latinis datam.* Ibi Manlius Civis Neapolitanus factus dicitur *fuisse* Civis Catinensis, quod indicare videtur, eum hanc Civitatem amisisse. Sed Cicero recte explicari potest hoc modo, Manlium hunc primum fuisse Civem tantum Catinensem, mox Neapolitanum, deinde Romanum; nam Civitatem Catinensem eum non amisisse, cum jure Municipii Civis Romanus effectus esset, ex eo colligo, quoniam Cicero in eadem Epist. scribat: *Ejus Frater Catinae nuper mortuus est. Nullam omnino arbitramur de ea hereditate controversiam eum habiturum: & est hodie in bonis.* Manlius hic Catinae hereditatem adierat, & jure quidem, ut Ciceroni videtur, si autem non fuisset Civis Catinensis eam hereditatem cernere non potuisset, cum is, qui proprio jure fieret Civis Romanus, amitteret in sua Civitate omne jus cognationis, adeoque hereditatis ab intestato, eaque re nihil ex fratris bonis vindi-

vindicare sibi potuisset Manlius. Hujus Legis meminit Plinius in Paneg. cap. XXXVII. Ubi de hereditatibus agit: *Haec mansuetudo Legis veteribus Civibus servabatur: novi seu per Latium in Civitatem, seu beneficio Principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus conjunctissimi fuerant.* Nam qui in Civitatem Romanam recepti erant, a suis extranei habebantur, nisi simul cum Civitate jus cognationis a Principe impetrassent. Ita recte hunc locum explicant Erud. Commentatores, quibuscum facit Cel. Burm. de Vectig. p. 204.

V. Subjungendus jam est alter modus, quo Civis Romanus Paulus esse potuit. Municipium non fuisse Tarsum supra pluribus demonstravimus ex variis, quae huic Urbi tribuuntur, nominibus; Verum, si parva fiat inter Municipia distinctio, facile haec Pauli Civitas conciliari posse videtur. Omnes, quos inspicere licuit Romanarum Antiquitatum Conditores, Municipium esse scribunt *Urbem Civitate Romana donatam.* Sed vix dubito, quin non solum integrae Urbes, verum aliquando certa alicujus pars, jus Municipii habuerit, adeo ut ipsa Urbs esset libera, seu alio foedere Romanis conjuncta, quaedam tamen

in ea Urbe familiae, quae maxime partes Romanorum foverant, haberent jus Municipii, adeoque Civitatis Romanae. In hanc me opinionem induxit Livius libr. VIII. cap. XI. *Equitibus Campanis Civitas data: monumentoque ut esset, aeneam tabulam in aede Castoris Romae fixerunt.* Et cap. XIV. *Campanis Equitibus honoris caussa, quia cum Latinis rebellare noluissent, Civitas sine suffragio data.* Hic certis quibusdam Capuae incolis Civitas Romana dabatur, cum alii extra Civitatem manerent, & dabatur ita, ut eam haberent *sine suffragio*, quae distinctio obtinet in Municipibus, non in iis Civibus, qui proprio jure Civitatis donabantur, quibus nullibi Civitatem absque suffragiis datam reperio. Praeterea Campani illi non Romam migrabant, sed domicilium, &c, ut colligi potest, Civitatem in Urbe sua retinebant. Accedit, Consulem Romanum, cum post Cannensem cladem Campanorum legatos allocuturus esset, inter plurima Romanorum beneficia hoc praecipuum memorare, Civitatem magnae parti Campanorum datam esse. apud Liv. libr. XXIII. cap. V. *Adjicite ad haec, quod foedus aequum dedistis, quod Leges vestras, quod ad extremum Civitatem nostram magnae parti vestrum dedimus, communicavimusque vobiscum.* Si

jam

jam proprio jure Civitas esset data, non recte illud inter beneficia a Romanis in Campanos collata extolleretur, cum Liberi Populi id ipso foedere cavere solerent, ne quis ex se Civis Romanus fieret, quam rem optime cognosces ex Oratione Cicer. pro Balbo. Verum ipsa Capua aequum cum Romanis habebat jus, plurimi autem in ea Urbe Civitatem Romanam. Hinc passim inter Campanos, qui Cives Romani essent, & reliquos Campanos distinguit Livius XXVI. cap. XXXIII. & XXXIV. Lipsium vide ad Vell. Pat. libr. I. cap. XIV. Unde inter Campanos Civesque Romanos mutua videntur fuisse connubia. Liv. libr. XXIII. cap. II. & libr. XXVI. cap. XXXIII. Quamvis Romae connubia cum vicinis gentibus aliquando permitterentur. Spanh. in O. R. Exerc. II. cap. XXII. p. 519.

VI. Si igitur statuamus jus Municipii certis quibusdam in aliqua Urbe Familiis concessisse Romanos, qui bene de Rep. meriti essent, conjicere restat, hoc quoquè Urbis Tarsi incolis accidisse, ut quidam essent tantum Tarsenses, quidam Tarsenses simul & Romani Cives. Cui sententiae favere videtur, quod legimus, partem Tarsensium Dolabellae favisse, partem vero Cassio ut verisimile fiat, Caesarem vel

Antonium eos jure Municipii donasse potissimum, qui a se steterant, deque se optime meriti erant. Refert id de Tarsensibus Appianus libr. IV. Bell. Civ. p. 1004. Ταρσέων δ' ἐς στάσιν διῃρημένων, οἱ μὲν τὸν Κάσσιον ἐστεφανώκεσαν ἐλθόντα πρότερον, οἱ δὲ τὸν Δολοβέλλαν ἐπελθόντα. *Tarsensibus autem in factiones divisis, pars Cassium coronaverant prius receptum, pars Dolobellam, qui venit posterior.* Neque tum quidquam obstat, *Liberos* dici Tarsenses & *Socios*, cum eodem modo Campani *Socii* & *Liberi* appellentur apud Liv. libr. XXIII. cap. V. Neque solum Urbes exstitisse, quarum pars haberet jus Municipii, pars tantum suas Leges, existimo, verum etiam aliquando ita Colonias in quasdam Civitates deductas, ut pars Colonorum Civitatem Romanam haberent, pars suis tantum viverent Legibus. Id ex Livio colligi puto libr. XXXIV. cap. IX. init. *Tertium genus Romani Coloni ab Divo Caesare post devictos Pompeji liberos adjecti. Nunc in Corpus unum confusi omnes; Hispanis prius, postremo & Graecis in Civitatem Romanam adscitis.* Cujus rei exemplum quoque est apud Cicer. pro Sulla cap. XXI. Et sic Colonias, quae in aliquam Urbem deducebantur, non semper cum veteribus incolis fuisse confusas, sed aliquod inter eos reman-

mansisse discrimen indicat Cic. libr. II. in Verr. cap. L. *Cum Agrigentinorum duo genera sint, unum veterum, alterum Colonorum, quos T. Manlius Praetor deduxit Agrigentum.* Si itaque haec Municipiorum & Coloniarum ratio procedat, Paulus ex Majoribus, qui erant Cives Tarsenses, & deinde ab aliquo Imperatore jure Municipii donati, natus esse potuit, & sic utriusque Urbis Civem se profiteri, ut Ausonius fecit de Claris Urb. XIV. ℣. 39.

Diligo Burdigalam: Romam colo, Consul in hac sum,
Civis in ambabus.

Ut ibi legit ex Reinesio Cl. Graevius & Chimentellus ad Marmor Pisanum de Honore Bisellii cap. V.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

I. *Transitus ad alteram Dissertationis partem.* II. *Paulus quomodo fuerit vinctus. Varia vinculorum genera.* III. *Non licebat Civem Romanum vincire, ne eorum dignitas violaretur.* IV. *Romani in Castris sua habebant vincula & Tribunalia.*

Livius & Vellejus Paterculus tentati. Rumpere vincula. V. *His Custodiis Centurio praeerat seu Tribunus, vel gregarii etiam Milites.* VI. *Aliquando ipsi Magistratus. Praeterea dividebantur Custodiae per Municipia, Socios &c.* VII. *Rei confessi in vincula ducebantur.* VIII. *Ex quibus causam dicebant.*

§. I. PRiori hujus Dissertationis parte Civitatem Pauli Romanam explicare conati sumus, quid autem ei haec profuerit Civitas in sequentibus examinare est animus. Ad jus Romanae Civitatis bis provocasse reperimus Act. cap. XVI. & XXII. Priori loco jam verberatus erat, & in carcerem detrusus, posteriori ei jam parabantur virgae. Ultimi hujus, de quo nobis praecipue in prioribus quaestio erat, judicii formam latius excutiamus: ubi haec examinare operae erit pretium: 1. Indignum fuisse Civi Romano vinciri, & in carcerem conjici, 2. Indignius si flagris in eum inquireretur, 3. Jure igitur Paulum ad Civitatem Romanam provocasse.

II. A Tribuno Militum, qui eum furori Judaeorum eripuerat, Paulus vinctus dicitur *duabus catenis* Act. cap. XXI. comm. 33. Ubi Tribunus ἐκέλευσε δεθῆναι ἁλύσεσι δυσί. *Jussit vinciri catenis duabus.* Sum-

Summus Grotius ad h. l. & Erud. Smidius intelligunt de duabus catenis, quibus manus ambae ſtringerentur ex Actor. Sect. XII. comm. 6. & 7. Verum potius haec ita explico, Pauli manus & pedes vinctos fuiſſe ex Act. XXI. 11. ubi Agabus vinctis ſibi manibus pedibuſque praedicit, Paulum eodem modo vincturos eſſe Judaeos, & traditu̇ros Romanis. Sic ſaepe manus pedeſque vinciri ſimul ſolebant, eo tamen modo, ut quis ire & ambulare poſſet. Plin. libr. VII. Epiſt. XXVII. *Senex macie & ſqualore confectus, promiſſa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque.* Philoſtr. libr. II. Icon. XI. Περιῆκται μὲν ἤδη τὼ χεῖρε ὁ Πὰν, δέδιε δὲ ἐπὶ τοῖς σκέλεσιν, ἐπειδὴ βούλονται αἱρεῖν αὐτά. *Jamque poſt terga Pan vinctus eſt manus, timetque cruribus, quod & ipſa conſtringere cupiant.* Alciphron libr. III. Epiſt. XXIV. Δεδήσεται τὼ χεῖρε, χοίνικας παχέιας ἐπισύρων. *Vincientur manus, & graves compedes trahet.* Varia enim erant vinculorum genera; inter ea, quibus pedes ſeu crura ligari ſolerent. Tibull. libr. I. El. VII. ℣. 43.

At mihi ſervandum credas, non ſaeva recuſo
Verbera, detracto non ego vincla pedum.

Et Ovid. libr. II. Am. El. II. ℣. 47.

Vidi ego compedibus liventia crura gerentem,
Unde Vir incestum scire coactus erat.

Huc conferantur, quae adnotavit Savaro ad Sidon. Apoll. libr. VII. Epist. XVII. & carm. XVI. ℣. 121. & Lucian. Saturn. p. 611. Erant praeterea, quibus manus onerabantur, catenae. Prop. libr. III. El. IX. ℣. 51.

Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili,
Accepere tuae Romula vincla manus.

Sil. Ital. libr. XVII. ℣. 143.

Sceptiferas arta palmas vinxere catena.

Id colligitur praeterea ex Achille Tat. lib. III. Erot. p. 179. & Sil. Ital. libr. II. ℣. 340. Quibus adde Doctiss. Emmen. ad Virg. libr. II. Aen. ℣. 57. Et quoniam pluribus fere simul catenis ligari solerent rei, hinc Latini dicunt, *conjicere aliquem in vincula, addere manus in vincula.* Ita Graeci δεσμὰ num. plurali dicunt. Lucian. de Luctu p. 300. Achill. Tat. libr. IV. p. 321. & 355. In Actis Apost. XVI. 26. Ἀνεῴχθησάν τε παραχρῆμα αἱ θύραι πᾶσαι καὶ πάν-

πάντων τὰ δεσμὰ ἀνέθη. Et aperiebantur illico fores, & omnium vincula ſolvebantur. Cum quibus conveniunt haec Ovid. libr. III. Met. ỷ. 700.

> *Sponte ſua patuiſſe fores, lapſaſque lacertis*
> *Sponte ſua fama eſt nullo ſolvente catenas.*

Vincula vero haec ut plurimum e ferro ſolebant confici, quod non obſcure indicat Lucian. Amor. p. 906. *κἂν τυραννικὴ βία δεσμὰ περιάψῃ, τὸν ἴσον ἐμαυτῷ περιθήσω σίδηρον. Si etiam vis Tyrannica vincula circumdet, par ferrum mihi circumdabo.* Cui adde Heliod. Aethiop. libr. VIII. p. 374. & hinc *σιδηροπέδαι* ſunt *compedes* apud Cinnam. de Reb. Comm. libr. II. p. 32. Quamvis aliquando etiam aurea adhibita fuerint & argentea vincula pro dignitate ejus, qui iis conſtringebatur. Heliod. libr. IX. Aethiop. p. 408. Bernecc. ad Juſt. libr. V. cap. XI. § 4. Schegk. alioſque ad Vell. Paterc. libr. II. cap. LXXXII. §. 3.

III. Hoc modo Civi Romano vincula injicere jure Civili Romanorum indignum habebatur. Cic. libr. V. in Verr. cap. LXVI. *Facinus eſt vinciri Civem Romanum, ſcelus verberari, propē parricidium necari.* Et pro Rabir. cap. IV. *Porcia lex virgas ab omni-*

um Civium Romanorum corpore amovit: hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem Civium lictori eripit. Quod est, interprete Turnebo ad illum locum: *Ne lictor Civem vinciret aut verberaret, cavit.* Unde si quis Romae in vincula duceretur, solebat saepe populum & Tribunos Plebis appellare. Liv. libr. III. cap. LVI. *Quod si indicta causa in vincula ducatur, iterum se Tribunos Pl. appellare.* Quocum confer praeterea initium capitis. Majestatem enim & splendorem Civium Romanorum vinculis deformari credebant, quod ex Livio patet, qui libr. XLIV. cap. XXXII. ita de Petillio & Perperna in vincula conjectis scribit: *Anicius Scodra recepta, nihil prius quam requisitos Petillium Perpernamque Legatos ad se duci jussit: quibus splendore suo restituto, Perpernam extemplo mittit.* Flor. libr. II. cap. II. §. 25. *Nec ultimo sive carceris sive crucis supplicio deformata majestas.* Appian. Alexand. libr. III. de B. Civ. p. 950. Ὁ δὲ ἀχθέντα ἰδὼν, ἐφιλοφρονεῖτο μὲν ἐς τὸ φανερὸν, καὶ τοῖς δήσασιν ἐπεμέμφετο, ὑπ' ἀγνοίας ἐνυβρίσασιν ἀνδρὶ τοσῷδε. *Ille vero adductum adspiciens, comiter excepit in propatulo, objurgans illos, qui eum vinxerant, quod per ignorantiam tantum virum injuria affecissent.* Non frustra ergo timuit Tri-

Tribunus; ut audivit, a ſe Civem R. vinctum eſſe Act. XXII. 29.

IV. Dein ita vinctum in caſtra ſeu *παρεμβολὴν* Paulum deducere juſſit Tribunus, Act. XXI. 37. Παρεμβολή caſtra notat hic & XXII: 24. XXIII. 10. & 16. monente Cl. Perizonio ad Aelianum libr. XIV. Var. Hiſt. cap. XLVI. Neque dubium mihi eſt, quin per hanc *παρεμβολὴν* *arcem Antoniam* intelligat, ubi praeſidia agere ſolebant Romani Milites in Urbe Hieroſolyma, teſte Joſepho libr. VI. de B. Jud. cap. XV. p. 919. *Ὧν κατιόντες οἱ Φρουροί, καθῆστο γὰρ ἀεὶ ἐπ' αὐτῆς τάγμα Ῥωμαίων.* *Per quos ibant cuſtodes, praeſidia enim agebant ſemper in ea Romani Milites.* Videatur Beza & Schmid. ad Act. XXI: 34. A quibus tamen aliquo modo diſſentit Cl. de Dieu ad eund. locum. Solebant autem Romani aliaeque Gentes non ſolum in praeſidiis, verum etiam in ipſis caſtris ſua vincula & cuſtodias habere. Appian. Bell. Pun. p. 104. *Ὁ Σκιπίων τινὰ λύσας τῶν αἰχμαλώτων ἔπεμψε.* *Scipio quendam ſolvens ex vinculis miſit.* Livius XXII. cap. VII. *Annibal captivorum, qui Latini nominis eſſent, ſine pretio dimiſſis, Romanis in vincula datis.* M. Antonium, cum Cretam invadere vellet, *plures catenas in navibus quam arma portaſſe* narrat Flor. libr. III.

III. cap. VII. §. 2. Lipf. de Mil. Rom. libr. IV. Dial. V. Ad quem morem referri quoque poffet Livius XXIV. cap. XVI. *Et adjuvere captivi, qui rapto inter tumultum ferro conglobati* &c. fi modo leviffima mutatione pro *rapto*, *rupto* reponatur. *Rumpere vincula* e Cicer. eft notum. *Rupto vinculo.* Suet Galb. cap. XVIII. *Ruptis catenis.* Horat. libr. II. Sat. VII. ℣. 70. *Capere arma* dicere folet Livius. Videantur Erud. Comment. ad Silium IV. ℣. 98. Attamen recepta lectio ftabilitur ex Vell. Pat. libr. II. cap. III. §. 5. *Raptis ex ea urbe gladiis, primo Vefuvium montem petiere, mox crefcente in dies multitudine, gravibus variifque cladibus* (ita lego pro *cafibus*) *affecere Italiam.* Hinc in praefidiis Urbium Imperatores, vel quicunque fummae rei praeerant, proprium habebant Tribunal. Liv. libr. XXVIII. cap XXVI. *Vocati deinde ad concionem, qui pridie venerant, ferociter in foro ad Tribunal Imperatoris, ut ultro territuri fucclamationibus, concurrunt.* Hoc Tribunal plerumque in foro erat, utpote celeberrimo Urbis loco Cicer. libr. V. in Verr. cap. XLI. *In forum venit, Navarchos vocari jubet, ifte hominibus miferis innocentibufque injici catenas imperat.* Adde Livium XXIX. cap. IX. & XVIII. In Caftris vero ftativis in Prin-

Principiis, quae caussa est, cur aliquando poenae ibi de sontibus sumtae sint. Frontin. libr. IV. Strat. cap. I. §. 17. *M. Cato memoriae tradidit, in furto comprehensis, si lenius animadvertere voluissent, in Principiis sanguinem missum.* Vide Ampliss. Cuperum libr. IV. Obs. cap. XIX. Construebantur autem haec Tribunalia ex cespitibus. Stat. libr. V. Silv. II. ℣. 144.

Hic suetus dare jura Parens, hac cespite turmas
Affari.

Savar. ad Sidon. Apoll. carm. VII. ℣. 172. Lindenbr. ad Ammian. Marc. libr. XV. cap. VIII. & Stewech. ad Veget. libr. III. cap. VIII. p. m. 184.

V. Hae autem custodiae fere Centurioni committebantur, quod colligitur e Liv. libr. XXXVIII. cap. XXIV. *Ortiagontis Reguli Uxor forma eximia custodiebatur inter plures captivos, cui custodiae Centurio praeerat.* Hirtio Bell. Afric. cap. LIV. §. 6. *Itaque transdidit ipsos Centurionibus, & singulis non amplius singulis additis servis in navi imponendos separatim curavit.* Appian. libr. III. Civ. p. 1112. Neque tantum custodiis, sed ipsis etiam poenis, si sumendae erant, praeesse solebat Centurio. Hirtius

tius B. Afric. cap. XXVIII. §. 4. *Qui cum ducerentur ad necem petiſſe dicitur major Titus a Centurionibus, uti ſe priorem quam Fratrem interficerent.* Et cap. XLVI. §. 1. *Ita percitus Scipio annuit Centurionibus, quod fieri vellet, atque ante pedes Centurionem interficit.* Et Appian. Alex. libr. IV. Bell. Civ. p. 966. Sic quoque praefuit Centurio, cum Paulum virgis violare vellent: eum namque allocutus legitur Act. XXII. 25. & ita praefuiſſe videtur, cum Paulus carceri mandatus eſſet Act. XXIII. 17. & 23. XXVII. 1. Neque tantum Centurionibus id oneris incumbebat, ſed ipſis Tribunis Militum cuſtodiae captivorum, in primis, qui honeſtioris ordinis eſſent, committebantur. Docet illud Liv. XLIV. cap. XXXI. *Deinde in cuſtodiam C. Caſſio Tribuno Militum traditus, vix gladiatorio accepto, decem talentis ab Rege Rex, ut in eam fortunam incideret.* Vel etiam per ordines militum dividebantur. Polyb. libr. III. Hiſt. cap. LXXXV. p. 327. Οσοι μὲν ἦσαν Ρωμᾶιοι τῶν ἑαλοκότων, ἔδωκεν εἰς φυλακὴν ἐπὶ τὰ τάγματα. *Quotquot quidem erant Romani captivorum, dedit in cuſtodias per ordines.* Plin. libr. X. Ep. XXX. *Rogo Domine conſilio me regas, haeſitantem utrum per publicos Civitatium ſervos, an per Milites ſervare cuſtodias debeam. Cuſtodiae* hic ſunt illi qui cuſtodiuntur. Sic δεσμῶται pro

ipſis

ipsis captivis. Act. XXVII. 1. ubi vide Grot. & Polletum Hist. Fori libr. V. cap. XIV. p. 523. Non satis tamen Latine dici censet Servius ad Virg. libr. XI. Aen. ℣. 184. Haec *custodia militaris* appellatur ab Ulpiano in l. 4. §. 2. ff. Si quis caution. Vide & l. 3. & 12. ff. de Custod. & Exhib. Reor. ex qua colligitur Militum custodiam multo leviorem fuisse. Hac custodia fuit servatus Paulus Act. XXVIII. 16. Videatur Joseph. Scaliger ad Manil. p. 418. Edit. 1655. & Vir excelsi ingenii Bynkershoekius libr. I. Observ. cap. II. Quibus addantur, quos laudat Cel. Schulting. ad Pauli Sent. libr. V. tit. XXXI. §. ult. Et Cel. Voet. n. 10. de Cust. & Exhib. Reor.

VI. Saepe praeterea Rei Consuli, Praetori, aliisve Magistratibus in custodiam tradebantur, quae *libera* appellatur, in quam fere dabantur illi, qui melioris ordinis & conditionis essent. Appian. libr. II. Civil. p. 713. Egregia contulit Lips. ad Tacit. libr. VI. Ann. cap. III. Viri Docti ad Vell. Paterc. libr. I. cap. XI. §. 1. Wass. ad Sall. Catil. cap. XLVIII. & ibid Cortius cap. XLVII. Quamvis etiam committerentur iis, qui non essent in Magistratu. Ascon. Pedian. ad Orat. Cic. pro Milone cap. XIV. *Pompejus post Triumphum Mithridaticum Tigranis filium in catenis deposuerat*

fuerat apud Flavium Senatorem. Sic Marius Fanniae custodiendus traditus fuit teste Plutarcho in Mar. p. 427. Solebant quoque per Municipia dividi, ut in iis custodirentur. Vell. Paterc. lib. II. cap. XXXV. §. 3. *Cum alii suaderent, ut per Municipia Lentulus conjuratique custodirentur.* Sall. Catill cap LIV. & Casaub. ad Suet. Caes. cap. XIV. Vel per Latinas Civitates. Livius XXXII. cap. XXVI. per Italicas. Appian. libr. II. Civ. p. 713. Per Socias. Livius XXVI. cap. XVI. & libr. XXX. cap. VII. & XLV. libr. XXXIX. denique per quoscunque vicinos populos. Liv. libr. XXIV. cap. XIX. in fine. & libr. XXVI. cap. XIV. Nonnunquam rei sibi committebantur. l. 1. ff. de Custod. & Exhib. Reor. Non satis accurate igitur Dougtaeus in Anal. Sacr. ad N. T. exc. LXV. scribit duplex tantum custodiae genus in usu fuisse apud Romanos, carcerem sc. & liberam custodiam.

VII. Rei, qui confessi erant, ne daretur effugiendi, & sic poenae evitandae facultas, in carcerem conjiciebantur. Ita Cicer. Orat. III. in Catil. cap. VI. ostendit, conjuratos, tum demum, cum sceleris convicti forent, in carcerem detrusos esse. De qua re agit quoque Appian. libr. II. Civ. p. 714. Attamen & illi, de quo-

quorum crimine nondum clare satis patebat, quorumque nondum dicta erat causa, in carcerem fuerunt detrusi. Liv. libr. II. cap. IV. *Proditoribus extemplo in vincula conjectis, de Legatis paululum addubitatum est.* Et XXXVIII. cap. LVIII. *Scipio quum contenderet, omnem, quam accepisset pecuniam in aerario esse, in vincula duci est coeptus.* Adde Vell. Pat. libr. II. cap. VII. §. 2. & Sigon. libr. II. de Judic. cap. III. Ita illi, quibus vades deerant, recta in carcerem proficisci debebant. Plaut. Pers. Act. II Sc. IV. ℣. 18.

Sa. *Vadatur hic me.* Pae. *utinam vades desint, in carcere ut sis!*

VIII. Si vero de Rei crimine satis constaret, in vincula conjectus causam ex iis dicere debebat. l. 3. §. 5. ff. de Cust. & Exh. Reor. Suet. Ner. cap. XXXVI. *Conjurati ex vinculis triplicium catenarum causam dixere.* Idem Paulo evenisse postea colligas ex Act. XXVI. 29. Sin autem res esset adhuc dubia, eo tempore vinculis liberandus erat. Plaut. Trin. Act. IV. Sc. III. ℣. 63.

Vide quaeso homini ne facias injuriam,
Reus solutus causam dicit

O Ubi

sa. III. *Vel poenae infligendae gratia, & tum ipsam poenam praecedebant.* IV. Ἱμάντες *&* μάστιγες *explicantur. Honestiores ligno verberabantur.* V. *Servi fere loris puniebantur.* Μώλωπες *sunt vestigia verberum. Servilia verbera ex corio erant facta. Donati error.* VI. *His autem verberibus Cives Romanos subjicere Legibus Romae erat prohibitum.* VII. *Et quidem praecipue Lege Porcia, lata, ut videtur, a P. Porcio Laeca.* VIII. *Attamen Cives condemnatos verberare licebat, ut & peregrinos, ex qua causa haud dubie Paulum verberibus subjecit Tribunus. In militibus cessabat Lex Porcia.* IX. *Indicta causa quemquam condemnare non licebat, quod etiam aliae Gentes observarunt.*

§. I. CUm propter turbam confusasque inter se voces ea, quae Paulo crimini darentur, satis intelligere non posset Tribunus, in eum flagris inquiri jussit. Hic enim saepe erat judicii Romani ordo, praesertim si cum servis & peregrinis res ageretur, ut Reum primo prehenderent, deinde vincirent, mox verberarent. Habes id apud Plaut. in Aulul. Act. II. Sc. V. ℣. 20.

Comprehendite,

 Vin-

Vincite, verberate, in puteum condite.

Et gradatim Cicero libr. III. in Verr. cap. XXIV. *Mitto vincla, mitto carcerem, mitto verbera, mitto secures.* Et quidem videtur Paulus vinctus ad supplicium ductus fuisse. Vincti enim fere suppliciis tradebantur damnati, ut docet Cicer. libr. V. in Verr. cap. XXVI. *Nullum est aut testimonium victoriae certius, quam, quos saepe metueris, eos te vinctos ad supplicium duci videre.* Etiam Dio in Excerptis Peiresc. p. 666.

II. Duas praecipue ob rationes olim verberibus Reos afficere solebant. 1. Ut crimen ex illis exsculpere possent. 2. Ut esset pars poenae vel ipsam poenam praecederet. Mos erat Romanis non solum, verum & aliis Gentibus receptus, ut eum, de cujus crimine non satis constaret, flagellis subjicerent. l. 14. C. de Quib. Caus. Infam. *Nullam existimationis infamiam Avunculus tuus pertimescat ictibus fustium subjectus ob crimen quaestione habita.* Senec. Troad. ỳ. 578.

Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui
Quodcunque celas, adiget invitam dolor.
Et pectore imo condita arcana eruet.

Con-

Confer Servium ad Virg. libr. VI. Aen. ℣. 573.

Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae,

Mittuntur, inquit, post verbera ad aeternum supplicium, & est secutus ordinem juris antiquum. Nam post habitam quaestionem in Tullianum ad ultimum supplicium mittebantur. Quamobrem *tormenta* & *verbera* passim junguntur. Cic. in Topicis cap. XX. *Facit enim necessitas fidem, quae tum a corporibus, tum ab animis nascitur, nam & verberibus, tormentis, igni fatigati, quae dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere.* Cic. Orat. XI. Phil. cap. II. *Tum verberibus ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae.* Et hoc modo optime illustratur Juven. Sat. VI. ℣. 479.

Hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
Hic scutica: sunt, quae tortoribus annua praestent.
Verberat, atque obiter faciem linit.

Ubi Vet. Schol. *Tortores* per *Quaestionarios* explicat. Ad hunc fere modum Liv. libr. XLIV. cap. LV. *Adductus primo ita negare inconstanter, ut parvo metu admoto, paratum indicem esse appareret conspectum tor-*

tortoris verberumque non sustinuit. Ἐτασμοὶ καὶ μάστιγες, *quaestiones* & *verbera* junguntur libr. II. Macab. cap. VII. comm. 37. Videatur Grotius ad Matth. cap. XXVII. comm. 37. Hanc etiam ob causam Tribunus verberibus in Paulum inquirere jussit Actor. XXII. 24. Hunc supplicii modum alii etiam praeter Romanos observarunt. Curtius libr. VI. cap. XI. §. 16. *At primo quamquam hinc ignis, illinc verbera, jam non ad quaestionem, sed ad poenam ingerebantur.* Ob eandem causam vinctos caesos verberibus fuisse existimo ante, quam custodiae mandarentur, de quo Tacit. libr. I. Ann. cap. XXI. *Blaesus paucos maxime praeda onustos affici verberibus, claudique carcere jubet.* Et Alciphron libr. III. Epist. XLIII. Τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ξήνας ὑμᾶς ὑστριχίδι οὐκ ὀλίγαις οὐδ' εὐαριθμήτοις μάστιξι, τέλος ἀγαγὼν εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπέθετο ὁ ἄγριος γέρων. *Postea cum nos cecidisset flagello suillis setis intertexto, non paucis nec facile numerandis verberibus, postremo abducens in vincula conjecit inhumanus senex.* Quod etiam Paulo evenit Actor. XVI. 23. Πολλάς τε ἐπιθέντες αὐτοῖς πληγὰς, ἔβαλον εἰς φυλακήν. *Et multa verbera iis infligentes, conjecerunt in carcerem.* Adde etiam comm. 37. ejusdem sectionis.

III.

III. Altera verberandi ratio erat haec, cum ante poenam noxiis & ad extremum supplicium damnatis verbera infligerentur. Livius II. cap. LIX. *Ad hoc Centuriones dupliariosque, qui reliquerant ordines, virgis caesos securi percussit.* Et libr. XXVI. cap. XV. *Producti omnes virgisque caesi ac securi percussi.* Plura confert Erudit. Sallustii Interpres Cortius ad Catil. cap. LI. Hoc autem Romae fere in Comitio fieri solebat. Liv. libr. XXIV. cap. XX. *Quos cum Romam misisset Consul, virgis in Comitio caesi omnes, ac de saxo dejecti.* Similiter libr. XXV. cap. VII. & Suet. Caes. cap. XLV. §. 11. Neque tantum hoc Romae, verum etiam in Provinciis exterisque locis obtinebat teste Livio XXVI. cap. XL. *Oppido recepto Laevinus, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis caesos securi percussit.* Praecipue id accidebat, cum quis suspendendus de cruce esset, ut ejus terga prius virgis lacerarentur, ut tradit Livius XXVIII. cap. XXXVII. & XXXIII. cap. XXXVI. Sic Dominus noster, antequam cruci figeretur, verberibus caesus fuit teste Matth. XXVII. 26. & Marc. XV. 15. Praeter alios hoc jam observavit Lydius in Flor. Spars. in Pass. J. C. p. 140. & 174. Aliam hujus rei rationem investigare conatur Edmundus Merillius notis Philol. in Pass. Chr.

cap. X. Maxime id genus supplicii in servos constitutum erat, sic Cicero, vel potius, qui sub ejus nomine latere voluit, oratione antequam iret in exsilium cap. VII. *Servi, qui ad supplicium caesi verberibus trahuntur, apud eos saepe disputant, quos necare voluerunt.* Ubi de privatis Judiciis loqui videtur, cum in iis eodem modo flagellatos suppliciis tradidisse constet ex Livio II. cap. XLI. *Sunt, qui Patrem Auctorem ejus supplicii ferant. Eum cognita domi causa verberasse ac necasse, peculiumque filii Cereri consecravisse.*

IV. Instrumenta, quibus Paulum caedere volebat Tribunus, vocantur μάστιγες. Act. XXII. 24. &, si cum Viris Eruditissimis explicare velimus comma 25, ἱμάντες. Μάστιγας proprie & ἱμάντας adversus homines servos & vilioris conditionis adhibitos legimus. De priori voce id clarissime colligi potest ex iniquissimo in Christianos Scriptore Eunapio Vita Aedesii p. 76. qui Martyras & Diaconos vocat ἀνδράποδα δεδουλευκότα κακῶς, καὶ μάστιξι καταδεδαπανημένα. *Qui fuerint servitia infida, & flagris pessime subacta.* Dion. Halic. libr. IX. p. 597. Τὸν δὲ ἕτερον οἱ τῶν ἱερῶν Ἐπίσκοποι συλλαβόντες, ἐν ἀγορᾷ μάστιξιν αἰκισάμενοι, καθάπερ ἀνδράποδον ἀπέ-

ἀπέκτειναν. *Alterum vero Pontifices comprehendentes , & in foro virgis caedentes , ut mancipium interfecerunt.* Poenam igitur μάστιξι armatam describit Cebes in Tab. p. m. 185. Η μὲν τὴν μάστιγα ἔχουσα καλεῖθαι τιμωρία. *Illa quidem flagellum tenens est poena.* Simili ratione Virg. libr. VI. Aen. ℣. 570.

Continuo sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans.

Altera vox est apud Artemid. libr. II. Oneir. cap. LIII. Ἀεὶ δὲ ἀγαθὸν ξύλοις ἢ χειρὶ παίεσθαι , πονηρὸν δὲ ἱμάντι διὰ τοὺς μώλωπας. *Semper vero bonum est signum lignis aut manu verberari , malum vero loro propter vibices inflictos.* Ligno enim verberari erat honestiorum , ἱμάντι vero viliorum & servorum. l. 45. ff. de Injur. *Servi quidem flagellis caesi Dominis restituuntur , liberi autem humilioris quidem loci fustibus subjiciuntur.* Capitol. in Pertin. cap. X. *Dum sibi quidam servus , quasi Fabiae esset filius ex Cejonii Commodi familia , Palatinam Domum ridicule vindicasset , cognitus , jussus est flagellis caesus Domino restitui.* Quare Caesar Quirites ad flagra , id est , servilem conditionem perduxisse dicitur apud Juven. Sat. X. ℣. 108.

Quid Crassos, quid Pompejos evertit? & illum
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?

Quo respicit Lucanus IV. ℣. 217.

Ibitis ad Dominum? damnataque signa feretis?
Utque habeat famulos nullo discrimine Caesar
Exorandus erit.

Inspice Nannii Misc. libr. II. cap. IX.

V. Lora seu ἱμάντες servorum propria fuisse videntur hanc praecipue ob causam, quod relinquerent in corporibus, ut ait Artem. Μώλωπας, quod cum Lucian. in Philopf. p. 341. & Dion. Halic. in Excerpt. Peir. p. 538. scribit Livius II. cap. XXIII. *Ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum & carnificinam esse, inde ostentare tergum foedum recentibus vestigiis verberum.* Ubi *vestigia verberum* sunt μώλωπες, quae *maculae* dici videntur apud Macrob. libr. VII. Saturn. cap. III. Ubi Aricides Philosophus ex liberto quaerit: *Tu nobis absolvas cur & de albis & de nigris loris similes maculae gignantur.* Illud est *terga secare* apud Tibull. libr. I. El. X. ℣. 21.

Ure

Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

Ubi Consule Eleg. Brouckh. Ovid. libr. II. Am. El. VII. ℣. 22.

Quis Veneris famulae connubia liber inire,
Tergaque complecti verbere secta velit.

Eodem modo loquitur Juven. Sat. X. ℣. 316. Et hoc erit *rumpere* aliquem *flagris* in l. 9. §. 3. ff. de Injur. Haec autem instrumenta *lora* veteribus dicebantur. Plaut. Captiv. Act. III. Sc. IV. ℣. 125. & Mostell. Act. IV. Sc. III. ℣. 44.

Servorumque operam, & lora mihi cedo.

Schol. Cruquii ad Horat. libr. II. Ep. II. ℣. 15. *Secundum morem Romanorum, qui servos suos ad gradus habenis, id est, loris ligatos flagellabant, idcirco in media domo a gradibus ad timorem servis incutiendum habenae pendebant* Donat. ad Terent. Adelph. Act. II. S. I. ℣. 28. *Lora apud Veteres laura dicebantur, a Lauro triumphali, sub qua mos erat captivos vinciri, ducique per pompam. Ideo autem, ut conditionis reminiscantur, loris caeduntur mancipia.* At vereor, ne erret Donatus, cum a *lauru*

lora

lora derivet, nam lora facta fuerunt e corio, adeoque a lauru dici non potuerunt. Servilia enim verbera fere erant e corio. Sic *scytica* teste Vet. Schol. Cruq. ad Horat. libr. I. Sat. III. ℣. 119. *Scutica, id est, lorum, gr.* σκυτικὴ ἀπὸ τοῦ σκύτος, *quod notat corium, lorum.* Ovid. Epist. IX. Her. ℣. 81.

Crederis infelix scyticae tremefactus habenis,
Ante pedes Dominae procubuisse tuae.

Conferendus omnino est Doct. Torrentius ad Horat. l. l. De his servilibus verberibus etiam intelligi debet Martial. libr. IX. Epigr. XCIV.

Tortorem metuis? podagra chiragraque secatur
Caïus & mallet verbera mille pati.

Liv. libr. XXXIX. cap. XVIII. *Tribunos militum in vincula conjectos, dein verberatos, servilibusque omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit.* Plaut. Mil. Act. II. Sc. VI. ℣. 22. Plura reperire licet apud Gons. de Salas ad Petron. cap XI. Bongars. ad Justin. libr. I. cap. V. §. 2. Wissenb. in not. Nom. Phil. in Pass. ad Matth. cap. XXVII. comm. 26. Lips. de cruce libr.

libr. II. cap. III. & Briſſon. libr. III. Ant. cap. IX.

VI. Eo modo in ſervos animadvertere licebat, non in Cives Romanos, in quam rem diſerta exſtant Scriptorum teſtimonia. Cic. libr. V. in Verr. cap. LIII. *Ut nunquam dubitaret, ſupplicia, quae in convictos maleficii ſervos conſtituta ſunt, ea in Cives Romanos expromere. Virgis quam multos ciciderit, quid ego commemorem?* Et cap. ſeq. Appian. Alex. libr. II. Civ. p. 731. Παρὰ τοῦτο Ῥωμαῖον εἶναι νομιζόμενον, ὁ Μάρκελλος ἐφ᾽ ὕβρει τοῦ Καίσαρος ἔξηνε ῥάβδοις, ἐφ᾽ ὅτῳ δή οὐ πασχόντων τοῦτο Ῥωμαίων. *Propter illud Romanum habitum, Marcellus in Caeſaris contumeliam virgis cecidit, quae poena Civi Romano quantumvis ſonti haud unquam infligitur.* Hoc autem facinus ſi in Civem Romanum commiſſum eſſet, Magiſtratus, qui tali ſe ſcelere alligaſſet, judicium ſubire debebat. Aſcon. ad Cicer. Orat. pro Corn. p. m. 128. *Cumque interim quendam Civem idem Metellus, ſervum eſſe contendens, vi arripuiſſet ac verberibus affeciſſet, Curio aſſertorem ei comparavit. Dein cum appareret eum exitum judicii illius futurum* &c. Vis enim haec erat neque ferendum in Cives & liberos facinus, ut ita ſervilibus poenis & lictorum virgis ſtatim ſubjicerentur, unde Civium quoque & libe-

berorum corpora *verberibus violari* dicuntur apud Livium XXIX. cap. IX. *Cum violata jam virgis corpora Tribunorum vidissent, tum vero in multo impotentiorem subitò rabiem accensi.* Tacit. libr. III. Ann. cap. LXXVII. *Julianus ad L. Vitellium perductus & verberibus foedatus in ore ejus jugulatur.*

VII. Primis Reip. temporibus nulla quidem hac de re lex lata videtur, cum passim Cives verberatos reperiamus. Sed posterioribus temporibus variis Legibus se contra verberum injuriam munierunt. Inter eas praecellit *Lex Porcia*, lata, ut quidem videtur, a P. Porcio Laeca, licet dissentiant ii, qui M. Porcio Catoni Censorino hanc adscribere malint, quibuscum facit Paul. Manut. de Leg. Rom. cap XVI. & XIX. Godelevaeus ad Livium X. cap. IX. Sed Porcio Laecae tribuendam potius esse hanc Legem, non obscure colligitur e nummo apud Ursin. in Ant. Num. Fam. Rom. p. 215. Ubi ab una parte est P. LAECA, ab altera PROVOCO. Quod optime observat ibid. Fulv. Ursinus. De hac Lege adscribi merentur verba ex Oratione Caesaris apud Sall. Catil. cap. LII. *Sed eodem illo tempore Graeciae morem imitati verberibus animadvertebant in Cives, de condemnatis summum supplicium sumebant.*

bant. Postquam Resp. adolevit, & multitudine Civium factiones valuere, circumveniri innocentes, aliaque hujusmodi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque Leges paratae (forte rectius *perlatae*) *sunt, a quibus Legibus exilium damnatis permissum est.* Nec dissimilia sunt illa Livii X. cap. IX. *Porcia tamen Lex sola pro tergo Civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve Civem Romanum sanxit.* Qui plura conferre velit, Eruditiss. Pighium evolvat tom. II. Ann. p. 255. Fabrum libr. II. Semest. cap. VI. Wass. ad Sall. Catil. cap. L. & Cortium cap. LI. Tradita tamen nobis sunt exempla, etiam post Legem Porciam Cives Romanos virgis caesos fuisse, sed plerumque ea proferuntur, ut saevitia ejus, cujus jussu id factum erat, reprehendatur. Cic. libr. I. In Verr. cap. XLVII. *Oblitosne igitur hos putatis esse, quemadmodum sit iste solitus virgis plebem Romanam concidere? quam rem etiam Tribunus in concione egit, cum eum, quem virgis iste ciciderat, in prospectu Pi. R. produxit.* Et III. in Verr. cap. III. *Is non plus tibi etiam quam inimicus esse debeat, cum tua verbera, cum secures, cum cruces ad Civium Romanorum supplicia fixas recordetur.*

VIII. Si vero Civis Romanus condemnatus

natus esset, licebat eum virgis caedere; quod cum ex aliis, tum ex poena in Imperatorem Neronem constituta colligitur; ut nempe more majorum in eum animadverteretur, apud Suet. Ner. cap. XLIX. §. 3. *Cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi conterritus duos pugiones arripuit.* Cui adde Eutrop. libr. VII. cap. XV. Dion. Voss. ad Caesar. libr. VI. B. G. cap. XLIV Hottom. & Turn. ad Cic. pro Rabir. cap. III. Et ita Eques Romanus verberibus subjectus dicitur apud Plin. libr. IV. Epist. XI. licet praecipue a flagellorum injuria liber esset apud Romanos ordo Equestris, qua de re agit Laurent. de Juram. cap. V. Alios tamen quam Cives Romanos verberare permissum erat, quae etiam causa videtur, quare Tribunus verberibus in Paulum animadvertere jusserit, quoniam existimaret, Paulum esse hominem peregrinum. Ex eo quidam explicant Sall. Jug. cap. LXXII. *Postquam sese parum expurgat condemnatus verberatusque capite poenas solvit. Nam is Civis ex Latio erat.* Ubi consule Erud. Cortium p. 726. Licet crudelitatis crimen Verri objiciat Cicero, cum hominem Siculum virgis castigare voluerit. libr. II. in Verr. cap. XXXVII. Sic quoque Militibus Romanis, qui foris bella gererent,

Por-

Porciam legem nil profuisse docuit Sigon. libr. I. de J. C. R. cap. XV. Hinc in castris virgas adhibitas legimus apud Gallic. in Avid. Cass. cap. V. Nonnunquam etiam capitale sumtum supplicium. Appian. Alex. B. Punic. p. 15. & 117. Cum alioquin de capite Civis nisi centuriatis Comitiis agere non liceret, & hinc Populum etiam de militibus judicasse, qui in bello deliquerant, docet Orosius libr. IV. cap. III. *Romanos vero milites integrae legionis Romam misit, qui Populi jussu medio in foro virgis caesi securique percussi sunt.*

IX. Ex dictis patet, quanta injuria affectus fuerit Paulus, cum servilibus verberibus ejus terga violare conarentur, praecipue *indicta causa.* Id enim Legibus Romanorum ante alia erat cautum, ne quis Civis Romanus *indicta causa* supplicio afficeretur. Testantur id Sacrae Litterae Actor. XXV. 16. & cum His Plautus, ex quo Romanorum Jus Civile pluribus locis eleganter explicari potest, in Curcul. Act. V. Sc. III. ỷ. 16.

Pro Deum atque Hominum fidem!
Hoc pacto indemnatum atque intestatum
me abripi!

Alia proferunt Taubm. ad Asinar. Act. V.

Sc. II. ℣. 87. Cic. pro Domo cap. XIII. ubi inter cetera haec memorat: *Hoc nobis esse a Majoribus traditum, hoc esse denique proprium liberae Civitatis, ut nihil de capite Civis aut de bonis, sine judicio Senatus, aut Populi, aut eorum, qui de quaque re constituti Judices sunt, detrahi possit.* Idem. I. Cat. cap. XI. August. de Civ. Dei libr. I. cap. XIX. *Vos appello Leges Judicesque Romani, nempe post patrata facinora nec quemquam scelestum indemnatum impune voluistis occidi:* Ubi conferatur L. Coqueus & Appian. libr. II. Bell. Civ. p. 714. Ideo Ciceroni dictus fuit dies, quasi contra Leges indemnatos sustulisset. Appian. libr. II. Civ. p. 721. & 837. Vell. Paterc. libr. II. cap. XLV. §. 1. Sed haec res est notissima & nulli fere non notata. Inter quos videri merentur Sigon. libr. I. de J. C. R. cap. VI. Et Vir Ampliss. G. vander Meulen ad l. 16. ff. de Orig. Jur. Neque hoc Romanorum, verum etiam aliorum Populorum Legibus prohibitum erat, utilissimo sane instituto, ne potentiores pro arbitrio suo in inferiores dominarentur, & sic eos, quos suis rationibus obstare intelligerent, tollere é medio possent. Tale exemplum est apud Heliod. libr. VIII. Aethiop. p. 377. Πάντων γὰρ ἐν ἐξουσίᾳ σοι τυγχανούσῃ, τὸ ἀναιρεῖν δίχα κρίσεως τῶν ἐν τέλει Περσῶν,

πρὸς

πρὸς τῶν νόμων ἀπηγόρευται. *Cum enim omnia in tua potestate sint posita, interimere tamen sine judicio Magistratuum Persicorum, secundum Leges est prohibitum.* Et Livium XXXVIII. cap. XXXIII. *Et Civitatem in pace futuram, si id fecissent, pollicens, & illos nihil indicta causa passuros.* Confer Curt. libr. III. cap. XIII.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

I. *Civis Romanus sum, formula in provocationibus.* II. *Alia formula erat, Porro Quirites, unde quiritare & quiritatio. Macrobius tentatur. Proripere se in publicum. Plinius Emend.* III. *Dicitur hoc implorare Quiritium fidem, vel simpliciter implorare, ut & appellare fidem.* IV. *Praecipue Tribunos Plebis appellabant, qui inde Vindices dicti, quae vox Eutropio restituta.* V. *Hanc provocationem audire debebant Magistratus.*

§. I. QUisquamne igitur jure mirari poterit, Paulum, tanta cum passus esset, ad Civitatem Romanam provocasse? Facere enim id solebant hi, qui a Civibus suis vel ab extra-

neis injuria adficiebantur, ut Cives se Romanos esse profiterentur, & Populi fidem inclamarent. Hac in re solennis erat formula, *Civis Romanus sum*, quae non raro apud Latinos Scriptores est obvia. Cic. libr. V. in Verr. cap. LXII. *Cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, & virgis expediri jubet. Clamabat ille miser, se Civem esse Romanum, Municipem Cosanum.* Et libr. X. Fam. Ep. XXXII. *Illi misero quiritanti, Civis Romanus natus sum, respondit, abi nunc, Populi fidem implora.* Quo loco consule Manut. Simili ratione Paulus Civitatis Romanae jure se a flagris tuetur Act. XXII. 25. Εἰ ἄνθρωπον Ρωμαῖον καὶ ἀκατάκριτον ἔξεστιν ὑμῖν μαστίζειν; *An hominem Romanum & eum indemnatum licet vobis verberare?* Hinc illud est apud Quinctil. Decl. VI. cap. XVII. *Me ipse perdidi, teneor venale mancipium, & Civis Romanus merx fio.* Confer Brisson. de Form. libr. VIII. p. 718.

II. Alia hac in re formula erat *Porro Quirites*. De qua sic Macrob. libr. II. Sat. cap. VII. *In ipsa quoque actione, subinde se, qua poterat ulciscebatur, inducto habitu Syri, qui velut flagris caesus praeripientique se similis exclamabat:*

Porro Quirites, libertatem perdimus.

Vel

Vel omnino falsus sum; vel in hoc Macrobii loco pro *praeripientique* substituendum erit, *proripientique*. *Proripere* enim est cum impetu quodam se in publicum conferre, & proprie illis tribuitur, qui Populi auxilium expostulant. Liv. libr. II. cap. XXIII. *Nexu vincti solutique se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem.* Caesar libr. II. B. C. cap. XII. §. 1. *Inermes cum infulis sese porta foras universi proripiunt, ad legatos atque exercitum supplices manus tendunt.* Quid vero *praeripere* hic sit, non video. Eadem haec formula occurrit quoque in Priapejis carm. XXV.

Porro (nam quis erit modus?) Quirites,
Aut praecidite &c.

Hinc *quiritare* dicitur is, *qui Quiritium fidem clamans implorat*, notante Varrone libr. V. de L. L. p. 57. Vertranius ad Tacit. libr. XVI. Ann. cap. XXXIV. *Igitur flentes, quiritantesque qui aderant.* Ita enim ibi legendum, non *queritantesque*; quae vox etiam corrupta est apud Plin. libr. VI. Ep. XX. *Audires ululatus Foeminarum, infantium quiritatus, clamores Virorum.* Ut optime observat Buchn. *Quiritare* vox est notissima Livio. Ita libr.

P 3 XXXIX.

XXXIX. cap. VIII. *Nulla vox quiritantium inter stupra & caedes.* Et cap. X. *Ne vox quiritantis, cum per vim stuprum inferatur, exaudiri possit.* Ita *quiritatio* est apud eundem libr. XXXIII. cap. XXVIII. De his formulis adeas moneo Erud. Petronii comment. ad cap. IX. & XXI. Sciopp. ad Priapeja I. l. Turneb. libr. XIII. Adv. cap. XXII. & Spanh. in O. R. Exerc. II. cap. XXIV. p. 547.

III. Qui ita Populi auxilium expostulabant, *Quiritium fidem implorare* dicuntur apud Liv. libr. II. cap. XXII. *Provoco & fidem Plebis imploro! adeste Cives, adeste Commilitones! nihil est, quod expectetis Tribunos, quibus ipsis vestro auxilio opus est.* Et libr. XXXIX. cap. XLII. *Loquenti Gallo caput primum percussisse, deinde fugienti, fidemque Populi R. atque eorum, qui aderant, imploranti, latus transfodisse.* Quem etiam vide libr. XXVII. cap. XXVIII. libr. XXX. cap. XXXVI. & libr. XXXI. cap. VII. Cicer. pro Roscio Amer. cap. XI. *Populine Romani, vestramve, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem?* Et pro Publ. Quintio cap. XXX. Plin. libr. III. Epist. IV. Idem est *appellare* alicujus *fidem.* Senec. Troad. ỷ. 665.

Coe-

Coelitum appello fidem,
Fidemque Achillis. Pyrrhe, Genitoris tui
Munus tuere.

Et ſimpliciter *implorare* pro fidem implorare occurrit apud Livium libr. XXIX. cap. IX. *Nudari ac virgis expediri jubet, dum ſpoliandis iis (repugnabant enim militemque implorabant) tempus teritur.* Ubi conſule Cel. Gron. Cic. libr. V. in Verr. cap. XLVIII. *Quo fugient Socii, quem implorabunt.* Et pro Domo ad Pontif. cap. X.

IV. Implorare autem Quiritium fidem eſt auxilium plebis & praecipue Tribunorum expoſtulare. Hinc in eadem hac re ſolennis eſt locutio *appellare Tribunos.* Liv. libr XXXVI. cap. III. *Nam cum cogerentur in claſſem Tribunos plebis appellarunt.* Et cap. LVIII. Cicero in Vatin. cap. XIV. *Appellariſne Tribunos Plebis, ne cauſam diceres?* Et pro Quint. cap. XX. Ad id enim proprie creati fuerunt Tribuni, ut minores contra vim & injuriam Patriciorum & potentiorum Civium defenderent & in libertatem vindicarent, quo reſpicit Aſcon. Ped. qui ad verba Cicer. Act. I in Verr. cap. XIII. *ſublata Populi Romani poteſtate*, haec notat: *ſcilicet ſublata provo-*

catione ad Populum, *hoc est*, *ad Tribunos Plebis*. *Vindices* hanc ob causam appellantur Tribuni. Reperies id apud Sall. fragm. Hist. libr. III. p. 46. Edit. Wass. *Quoties a Patribus armata plebes secessisset*, *utique Vindices paravisset omnis juris sui Tribunos plebis*. Similiter Lucan. libr. III. Pharf. ℣. 146. ubi de Metello Tribuno Plebis:

Dignum te Caesaris ira
Nullus honor faciet, *te Vindice tuta relicta est*
Libertas.

Unde *Plebem in libertatem vindicare* dicuntur apud Sall. Jug. cap. XLVI. Quam vocem etiam Eutropio restituendam puto libr. I. Hist. Rom. cap. XIII. *Tum & ipsos sibi Tribunos Plebis*, *quasi proprios Vindices & Defensores creavit*. Legitur in Editis *Judices*. At nihil certe minus, quam ad judicandum creati sunt Tribuni Plebis, quod eleganter docet locus Gell. libr. XIII. cap. XII. *Quod Tribuni antiquitus creati videntur*, *nec causis querelisque de absentibus cognoscendis*, *sed intercessionibus faciendis*, *quibus praesentes fuissent*, *ut injuria*, *quae coram fieret*, *arceretur*. Hinc Cicer. pro Quint. cap. XX. *Magistratum hunc auxilii causa constitutum esse* scribit. Quare *auxilii latio* ad-

adversus Consules vocantur apud Livium libr. II. cap. XXXIII. Et TRIBUNI PLEBEI IN AUXILIUM PLEBIS CREATI dicuntur in fragm. Orat. Claudiae apud Gruter. p. DII. Ideoque auxilium ab iis petebatur. Cicer. pro Quint. cap. VII. *Appellantur Tribuni, a quibus cum esset certum auxilium petitum.* Ceterum quod Latini dicunt appellare Tribunos, Graeci per ἐπικαλεῖν exprimunt. Plut. Mario p. 407. Ἐκέλευσεν ἀπάγειν αὐτὸν τὸν Μέτελλον εἰς τὸ δεσμωτήριον. Ἐκείνου δὲ τοὺς ἄλλους ἐπικαλουμένου Δημάρχους, ἐβοήθει μὲν οὐδείς. *Mandavit ducere ipsum Metellum in vincula. Illo vero alios Tribunos appellante, opem nemo tulit.* Hujus ad Populum provocationis egregium exemplum est in Livio libr. XXIII. cap. X. Ubi Decius Magius unus e Principibus Campanorum, cum vinctus ad Annibalis castra traheretur, circumfusam Civium multitudinem ita alloquitur: *Habetis libertatem, Campani, quam petistis, foro medio, luce clara, videntibus vobis, nulli Campanorum secundus vinctus ad mortem rapior.*

V. Si quis autem provocasset, Procon-

injuriam passi sunt, proclamaverint, audire eos Praeses Provinciae debet. Quo referendum id, quod scribit Cicero libr. V. in Verr. cap. LVII. *Ut jam illa vox & imploratio, Civis Romanus sum, quae saepe multis in ultimis terris opem inter barbaros & salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem & supplicium maturius ferret.* Neque ullum, quod magis ad indignationem movere potuerit Romanorum animos, facinus facile quis proferet, quam spretas quiritantium provocationes, ex qua re non levem Verri conciliat invidiam Cicero, ut in eadem Orat. cap. LXIII. *In crucem tu agere ausus es quemquam, qui se Civem Romanum esse diceret.* Alia, egregie hanc rem illustrantia, in seqq. illius Orationis capitibus reperire licet.

F I N I S.

ERRATA haec, si commodum erit, tuemendet B. L. rogo.

p. 5. lin. 3. lege *τείχωμα*. l. 11. *est*. p. 9. l. 28. *praesidium*. p. 12. l. 25. *positos*. p. 17. l. 24. *flammulae*. p. 72. l. 26. *ὑακίνθῳ* p: 75. l. 1. dele comma. p. 79. l. 22. lege *an*. p. 178. l. 14. *Otto*. p. 183. l. 18. *Romanum*.

CATALOGUS
VAN
BOEKEN

Dewelke by W. KROON Boekverkoper te Utrecht gedrukt en te bekomen zyn

Barchusen (*J. C.*) De Origine & progressu Medicinæ Dissertationes. In quibus Medicorum Sectæ, Institutiones, Decreta, Hypotheses, Præceptiones, &c. ab initio Medicinæ usque ad nostra tempora traduntur. in 4to.

Clemens (*H. G.*) Dissertatio de Labro Aeneo a Mose in Tabernaculi Atrio collocato, ad Illustrationem Exod. XXX. 17-21. XXXVIII. 8. in 8vo.

Geestelyke Gezangen van F. A. LAMPE, de tweede druk merkelyk vermeerdert; waer by gevoegt zyn Joach. Neanders Verbontsliederen en Dank-Psalmen, beide uit het Hoogduits in de Nederlansche taele op dezelve dichtmaten en zangwyzen overgezet door W. Kroon, met zangnoten verrykt in 8vo.

Haze, (*Th. de*) Naspeuringe van den Leviathan in Jobs boek beschreven, en van den

wyze verklaert, op des Apostels oogmerk toegepast, en vergeleken met den eersten brief ren Timotheus, in 4to.

DE PERSIAENSCHE CROMWEL, of het leven en de wonderbare Gevallen van MIRIWEIS, Vorst van Candahar, tegenwoordige Protector van Persien, met deszelfs afbeeldzel in koper gesneden, in 8vo.

De Kinderen Gods, door beschryving hunner werkzaemheit, van de Kinderen des Duivels onderscheiden, van de Opperste Wysheit onderwezen, tot den Geestelyken stryd bemoedigd en toegerust, om 't gevaer waer in de Godlozen omkomen te ontvlieden, gewaerschouwd, en eindelyk als Overwinnaers gekroond; in eenige Leerredenen der Gemeinte van Thiel voorgestelt, door haren ordinairen Leeraer *Timotheus de Witt*, en na zyn Overlyden, op veeler sterk aenhouden, uitgegeven door zyn Eerw: Broeder *Cornelius de Witt* Bedienaer des H. Euangeliums op de Forten Isabelle en Anthony by 's Hertogenbosch; met eene Voorrede van H. *van Alphen* Professor der H. Godgeleertheit te Utrecht in 4to.